






11
6










XXXIV
CAPIS



FR. RAIMVNDI CAPISVCCHII ROMANI

ORDINIS PRÆDICATORVM.

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI

APPENDICES

Ad Controuersias Theologicas à se editas anno 1670.





ROMÆ, Typis Angeli Bernabò. 1671.

Superiorum permissu.

Religiosissimo, ac Nobilissimo Patri

FR. VINCENTIO MARIAE VRSINO ROMANO

Ordinis Prædicatorum.

FR. RAIMVNDVS CAPISVCCVS

Eiusdem Ordinis D.D.D.



VDVM tacitus mihi gestiuit, & gestauit animus gratulari, neque iam verbotenus sed *Opere*-tenus applaudere Tibi, mihi, Ordini, ob *Victoriam qua vicisti Mundum*, qua nostræ adscriptus Dominicanæ militiæ calcasti sæculum, qua fugacia, & fugiẽs, & fugans manum misisti ad fortia; sed ne vacuus apparerem, sustinui dum occasio adforet, qua hoc nomine aliquid Opellæ meæ Tuo nomini gratulabundus inscriberem. Ea nunc adest, opportuua quidem meo affectui, sed importuna forsitan modestiæ Tuæ qua tanto-

perè

perè latere cupis; Patere tamen à me ſaltem obiter dici quæ patent. Heroum ſoboles *viciſti Mundum* heroicè; Excelſus genere Ordinem Prædicatorum excelsè decoraſti, eique dum perſonam tuam *ſolemnibus* votis illigaſti viciſſim hunc Tibi obligaſti ad reciprocam ſuauiſſimi complexus perennitatem, vt mecũ non immeritò iam exultet Dominicana Religio tantæ ſpei pignore, tantæ ſtirpis ſurculo decorata.

Tyronum ſeſe his caſtris addicentium varia eſt nec vna conditio: ſunt qui ſecum in ea comportent ſingularem indolis puritatem, iamque compoſitos ex virtute mores: ſunt, qui ſimul è ſæculo huc inferant exculti ingenij talenta optima, rarum acumen, literaturam eximiam; ſunt deniquè, qui cum reliqua dote pietatis etiam de luculento fulgore celſorũ natalium humili candori noſtri habitus non vulgarem inuehant claritatem. At pauci quos comitentur iunctim hæc tria in gradu præcipuo; At hìc Tua humilitas condonet veritati quòd hiſce pauculis Te accenſeam. Velis no-

lis,

lis, fatebere, nullum è tribus defuiſſe quod non tecum attuleris. Certè non primum, ſiquidem ab Infantia micuit in Te præſtantiſſimæ indolis venuſta pulchritudo, Tecum adoleuit morum Sanctimonia, & grauitas, maturuit cum annis operoſa deuotio, nondum Te foris ambiebat Veſtis Religionis, iamque intus geſtando ad nudam carnem laneo operimento (quo vtimur) piè adſueueras, velut qui corde intimo totus iam totum iudueras *S. P. Dominicum*, ex quo hic Tibi ſolus in votis erat ad properam ſequelam. De altero, nempe de allato pariter ingenij talento præcociſqueliteraturæ comite panoplia hoc ſolùm dixero, priuſquam decimo octauo tuæ ætatis anno Venetijs noſtrum amplecterеris Inſtitutum, iam Bononiæ tum liberalium Artium, tum vtriuſque Iuris, ac inſuper Diuinæ Theologiæ merueras laureatam Epomidē. Hinc tranſire mihi ad tertium fas eſto, nec enim tuorum Natalium *Vrſinos* fulgores adeo inuoluit, ac tegit Religioſi amictus bicolor ſpiſſitudo, quin pelluceant. Breuiſſimè

ta-

tamen hoc labore defungar, cum ad tuam nostramque gloriam hoc in pũcto sufficiat, *Vrsinam* indigitasse *Prosapiam*, cuius vel solo audito nomine mox vltro irradiant oculis mortalium tot ex ea Summorum Pontificum Tiaræ, tot Purpuratorum Patrum Infulæ, tot inclytorum Principum diademata, tot insigniũ in vniuersa Christiana Repub. Honorũ fasces, vt ijs ex ordine sæculorum percensendis non epistola, non pagina, sed moles voluminum atque Tomorum forent adhibendæ: sat nouit Terrarum Orbis, quot passim ditionibus, quã vastis Territorijs, quibus variarum regionum tractibus Gens Vrsina perpetim vltraque historiarum memoriam fuerit dominata, quantis connubijs affatim implexa pluriũ Magnatum, Regum, Monarcharum Familijs, & Coronis, quibus in pace, ac bello sublimata muneribus, admota, gubernaculis, ornata classium & exercituum præfecturis, qualis deniquè in toga & sago, in Salo ac Solo, domi, & foris, in sacris, ac profanis. Vis dicam

ver-

verbulo? *Vrsam maiorem* polus oſtentat Borealis at anguſtiſſimè; nam illic Vrſina Domus vnicam implet Zonam Arctoam, nec totam: ex aduerſo tellus in auguſto Circo veſtram oſtentat *Vrsinam Domum* quot Heroibus tot ſtellis diſpunctam vndique, ſed tantam cui capiendæ vix Torridæ Zonæ ſufficiat amplitudo, quotuſquiſque enim in Romano vetuſtiſſimæ nobilitatis hæmiſphærio aut luxit, aut lucet apex, quem *Vrsinæ* familiæ radius aliquo ſeù parentelæ, ſeù affinitatis, & agnationis aſpectu reſpectuquè non attingat?

Sed manum de tabula. & ne Tibi in tribus his quæ deduxi mea tàm ſit oneroſa quàm onuſta prolixitas, quidquid in Te miror, ac ſuſpicio, vni dumtaxat includam compendio. Vtiquè non negabis, in *S. Thoma Aquinate* confertim eminuiſſe, tum ſplendorem Natalium, tum Sanctitatem indolis, tum culmen eruditionis, tria hæc. Tu verò iſtius Angelici rediuiuum mihi compendium eſto vt finiam, vtrimque ſplendet eadem generis nobilitas; quid ſi mutua quoque

ſan-

ſanguinis propinquitas? nam ſi à paterna vtriuſque linea reſpicio ſimul ad maternam inclyta, *Tolſæ* Familia (quæ putatur eadem cum Frangipanibus) & S. Thomæ, & Tibi Atauos dedit; Piget his immorari diutius. Ad Religionem noſtram ille ex *Aquinis* Tu ex *Vrſinis* vocati eſtis Diuinitus ac modo planè ſimillimo: ille inuita plurimùmque refragante ſua Matre Comitiſſa Theodora, Tu nō ſine graui męrore tuæ Genitricis viduæ Grauinatum Principis; Æquè ambabus fuit acerbiſſimum talibus orbari filijs. Illius conſtantia variè per annos aliquot probata legitur, nec minùs Tua, vtrimque iubente Pontifice, agente conſanguineorum Principum ſolicitudine, ac dolore. Illi noſtrum S. Sabinæ in Vrbe Cænobium aliquantisper obtigit in experimentum Religioſi Tyrocinij, priuſquam inde ad literarum ſtudia abduceretur Coloniam, idem accidit Tibi priuſquàm ad ſtudia indidem abires Bononiam. Ille ſolemni Profeſſione (quoad fieri licuit) accelerata ſe totum continuò addixit literis, feſtinaſti pa-

riter

riter & Tu, professione accelerata, vt qui docere iam poteras, vsu Ordinis ad humiliora discendi subsellia properares.

Hìc abrumpo, siquidem præludia ista sat nobis indicant, qualis, & quantus in Ordine & in Orbe sis euasurus; Arrham tenemus, & pignus, alterum Te nobis *Aquinatem* fore; Ipsequè gaudeo nunc præuidere in Te surgẽtem nostri Ordinis Columnam qua suo tempore insigniter fulciatur.


Quòd ergo tam luculentis vestigijs Te S. Thomæ Aquinatis sequacem per omnia comperiam, sperare me iubet, placiturum Tibi quod offero præsens Opusculum, vtpotè appendix Controuersiarum quas nuper edidi, vt genuinam Tui meique Aquinatis Doctrinam ab alieno sensuum affrictu vindicarem. Resciui, Te illas, & legisse, & qua polles maturitate Iudicij etiam commendasse. Proinde nec earundem pertenuè hoc supplementum aspernaberis. Exiguum est si molem aspicias; at confido, potiùs Te respecturum ad magnitudinem argumenti quod pertractat, ad An-

geli-

gelici Doctoris arcem quam propugnat, denique ad offerentis animum, qui quod Opere nequit Opuſculo ſupplet, neque in Te colendo, diligendo, obſequendo ſe credit mortalium vlli cedere aut aliquando ceſſurum eſſe. Idem vt perpetuò credas etiam atque etiam rogo.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtr. Sacri Palatij Apoſt.

I. de Ang. Archiep. Vrbin. Viceſg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſtol. Magiſt.

Nos Fr Ioannes Thomas de Rocaberti S. Theologiæ Professor, ac Ordinis Prædicatorum humilis Generalis Magister, & Seruus.

In Dei Filio sibi dilecto Admodum Reu. Patri Magistro Fr. Raimundo Capisuccho Prouinciæ nostræ Romanæ eiusdem Ordinis salutem.

CVM Opusculum Theologicum a te conscriptum, cui titulus, *Appendices ad Controuersias Theologicas &c.* Nostri Ordinis Theologi, quibus id commisimus recognouerint, & in lucem pro defensione doctrinæ D. Thomæ edi posse, immo debere censuerint. Harum serie nostri Officij authoritate, vt illud edere possis facultatem quantum in nobis est, concedimus. In quorum fidem has sigillo proprio munitas dedimus. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam die 28. Ianuarij 1671.

Fr, Io. Thomas de Rocaberti Magister Ordinis.

Reg. fol. 12.

Fr. Hieronymus Victorius Magister, & Socius.

APPENDIX
PRIMA.

Ad Quæstionem Vnicam.

CONTROVERSIAE VII.

De Anima Traiani Augusti &c.



ABVLOSAM ex multis capitibus ostendimus narrationem de anima, Traiani Augusti precibus D. Gregorij à gehennæ cruciatibus liberata; inter alias autem rationes illam adduximus, quòd ex vna parte factum illud in Oratione Damasceni tribuitur S. Gregorio Magno, & ex alia Gregorius ibi appellatur cognomento, *Dialogus*, qui non sit Gregorius primus, sed secundus.

Hæc nos diximus cum nonnullis Doctoribus. Dicendum tamen, Gregorium, qui dictus fuit *Dialogus*, non fuisse Gregorium secundum, sed primum, qui fuit Gregorius Magnus. Id benè obseruat Cardinalis Baronius Annalium Ecclesiast. Tomo 9. ad annum decimumtertium Gregorij. Quamuis Gregoriũ secũdum dictum fuisse *Dialogum*, falsò asseruerint aliqui Greci, & Cedrenus ad annum X. Leonis Impe-

ratoris, & Baronius ipſe, vt ſincerè ſatetur loc. cit. Nã Gregorij Magni hoc (Dialogus) eſſe cognomẽ apud alios Græcos, ex quo Zacharias Pontifex eius Dialogos in græcum ſermonem conuertit, conſtat ex Græcis Damaſc. in Orat. de fidelib. def. Euthymio & Euchologio Græcorũ cap 96. & Latino Segeberto ad annum Chriſti 105. vt nimirum à Thaumaturgo, Nazianzeno, & Nyſſeno diſtinguatur. Hac igitur ratione relicta Narrationem de Traiano Auguſto precibus D. Gregorij ab Inferni pœnis liberato, fabuloſam eſſe ex alijs rationibus, quas Controuerſia illa ſeptima adduximus, conuincitur.

Hac occaſione obſeruare libet authoritatẽ B. Gregorij quam ex eius Regiſtro allegat S. Thomas tertia parte quæſtione 74. art. 4. c. vt probet rationabilem eſſe conſuetudinem Eccleſiæ latinæ de celebrando in azimo & Græcorum de conſecrando in fermentato *Super hoc autem*, inquit S. Doctor *ſunt diuerſæ Eccleſiarũ conſuetudines. Dicit enim B. Gregorius in Regiſt. Romana Eccleſia offert azimos panes propterea quod* Dominus *ſine vlla commixtione ſuſcepit carnem: Sed Greca Eccleſiæ offerunt fermentatum, pro eo quòd Verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinę.* Eandem Gregorij authoritatẽ affert lib. 4. con. Gent. cap. 79. & in Opuſculo contra errores Græcorum circa finem.

Quoad hanc S. Gregorij authoritatẽ exiſtimarunt

ali-

aliqui, eam à Diuo Thoma aliena fide fuisse allegatam, quòd in Registro Epistolarum D. Gregorij Magni non habeatur.

Dicendum tamen, authoritatem illam, veram, ac legitimam esse, verèque extitisse in Registro Epistolarum Gregorij, siue Gregorius ille, cuius Registrũ allegat S. Thomas, fuerit Gregorius primus, siue secundus; nam vterque Epistolas conscripsit, & vtriusque Registrũ reperitur; quamuis ad præsens in horum Registro non habeatur Epistola illa, ex qua dicta verba allegantur à S. Thoma. Tempore enim D. Thomæ, immo multò post ipsum D. Thomam extitisse in Registro S. Gregorij Epistolam illam, ac verba à D. Thoma allegata, apertè conuincitur ex hoc, quòd Georgius, seu Gennadius Scholaris Patriarcha Constantinopolitanus in defensione quinque Capitum, quæ in Sacra oecumenica Florentina Synodo continentur, græcè conscripta, & à Fabio Beneuolente in latinum idioma translata, affert illummet locum, & authoritatem S. Gregorij, quam affert S. Thomas, & alia verba D. Gregorij, ex quo apparet, etiam tempore Gennadij epistolam illam extitisse in Registro eiusdem D. Gregorij, nec Gennadium authoritatem illam à D. Thoma mutuatum esse, sed in suo proprio loco, & fonte vidisse, cum alia verba D. Gregorij afferat, quæ non afferũtur à D. Thoma.

 Sic

Sic ergo sect. 8. ait Gennadius. *Nunc demonstrabitur, quo pacto Romana Ecclesia azymum, & Orientalis Ecclesia fermentatum conficit per Gregorium Dialogum, Virum Sanctissimum, qui ante Ecclesiarum schismata vixit, cuius commemorationem nostra etiam Ecclesia unoquoque anno cum laude facit; Hic enim optimè causas reddit azymi, & fermentati, traditque Occident. Ecclesiam azymū, Orient. fermentatum, antiquitus in usu habuisse; bonaque, & laudabili ratione utramque ad id efficiendum fuisse permotam. Scribit enim, solet multos perturbare, quam ob rem in Ecclesia quidam panes azymos, quidam offerunt fermentatum; Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quòd Dominus sinè ulla commixtione suscepit carnem: Sed cęterę Ecclesię offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, & est verus Deus, & verus homo. Item & fermentum commiscetur farinæ, & efficitur corpus Domini nostri Iesu Christi vivi; sed siuè in azymo, siuè in fermentato conficiatur, Domini corpus, & Saluatoris nostri sumimus*, Hactenus Gregorius apud Gennadiū. Eandem D. Gregorij authoritatē ex Registro affert Cardinalis Turrecremata in Oratione ab ipso habita in Concilio florent. prout in actis eiusdem Concilij ab Horatio Iustiniano collecttis; sic enim ait Turrecremata. *Ideò D. Gregorius loquitur in Registro, quòd Romana Ecclesia offert azymos, quia corpus sumpsit purissimum, ex Virgine, aliquę autem Ecclesię offerunt fermentatum*

tum

tum, quia Verbum carnè indutum, sicut fermentum vnicum farinæ.

Hac eadem occasione de quadam authoritate Hieronymi à D. Thoma allegata 2. 2. q. 88. art. 2. asserentis, quòd Iephte in uouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius, obseruandum, eam Hieronymi authoritatem haberi apud Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum. Hæc obseruauerim, quia in margine illius articuli D. Thomæ non affertur locus Hieronymi.

Dixi autem, Gregorium illum esse potuisse vel Gregorium I. seu Magnum, vel Gregorium secundum, nã Gennadius videtur ea verba referre ex Gregorio Magno, cuius sæpè in eo opere meminit; potuit etiam esse Gregorius Secundus. Nam Cardinalis Baronius tom. 9. Annal. ad annum 11. eiusdem Gregorij Secundi, sic ait. *Cęterùm reliquę litterę, quas* (Gregorius) *se ad diuersos scripsisse testatur, non extant &c.* Et ad annum 1. Gregorii III. de Gregorio II. sic ait. *Porrò Gregorius ipse defunctus receptus est inter sanctos, anniuersarięque memorię cultu in Ecclesia perseuerat; Cuius si scripta extarent; resque ab eo gestæ diligentiùs scriptis mandata essent, Gregorio Magno haud minorē existimares; Pręter Epistolas scripsisse fertur Responsionum librum vnum ad Leonem Imperatorem, & alium ad Episcopum Constantinopolitanum, & alia.* Hactenus Baronius.

Ex

Ex quibus patet, quàm redarguendi ſint illi, qui Diuum Thomam, alioſque grauiſſimos Doctores authoritates aliquas Sanctorũ Patrum, quæ apud ipſos ad præſens non extant, afferentes, eos illicò aut falſitatis, aut credulitatis reos clamant, quaſi authorum opera, ac ſcripta temporum, aut hominum iniuria perire non contingat.

Hinc redarguendi hæretici, qui teſtimonia D. Cyrilli Alexandrini pro primatu Petri, eiuſque ſucceſſorum à Diuo Thoma allegata in Opuſculo contra errores Græcorum falſa eſſe volunt, quòd modò nullibi extẽt apud Cyrillum Opere, quod citatur tituli Theſauri. Cõtra quos iure inuehitur Philippus Labbe Societatis Ieſu Theologus in diſſertatione hiſtorica de ſcriptoribus Eccleſiaſticis inquiens. *Opus D. Cyrilli Alexandrini inſcriptum, Theſaurus de Sancta, & conſubſtantiali Trinitate, Theſaurum verè inſignem abiudicare ante aliquot annos S. Cyrillo voluit maleferiatus de Caluini grege Nouator, qui Arauſione Diſputationem de ſuppoſito publicauit. Verùm hunc pro meritis egregiè dedolarunt Petauius in Theologicis Dogmatibus, & Theophylus Raynaudus in Erotematis. Librũ autem illum Theſauri mutilum eſſe docent citati à D. Thoma plures loci, ac in primis duo illi inſignes. S. Petro omnes iure diuino caput inclinant, & Primates Mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt; 2. Debemus nos, vt qui membra ſumus capiti noſtro,*

stro Romano Pontifici, & Apostolicę Sedi adhęrere. Quibus in furiam versi aguntur Nouatores, & crimen falsi veraeissimo, ac Sanctissimo Scriptori non verentur impingere. Ioannes Raynoldus, & Andreas Riuetus &c.

Idemcontra Ioannē Launoium obseruat Vincent. Baronius eximius nost. Ord. Theol. in libris Apologeticis pro Religione, vtraque Theologia Ordinis Prędicatorū, quem immeritò carpit dictus Launoius, quòd Chrysostomum ad Consulta Bulgarorū à D. Thoma allegatum dixerit, opus illud à Theophylacto Bulgarorum Archiepiscopo ex Chrysostomi dictis, ac doctrina confectum, inde inscriptū fuisse Chrysostomū ad Cōsulta Bulgarorū. Nec enim nouum est, Opus aliquod illi ascribi, cuius dicta, aut doctrinam continet, & si alius fuerit collector, & abbreuiator. Hac ratione Cardinalis Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis obseruat, Librū sapientiæ ascribi Salomoni, quòd ex Salomonis sententijs conscriptus fuerit collectis, & in vnum volumen græcis verbis expressis à Philone, non illo, qui tempore Caij Imperatoris floruit, sed alio antiquiori, longè tamen posteriori Salomone. Vndè & hac ratione opus, quod allegatur Chrysostomi ad consulta Bulgarorum dici potuit Chrysostomi, quòd ex Chrysostomi doctrina, ac sententijs conflatum fuerit à Theophilacto Bulgarorum Archiepiscopo

Nisi

Nisi fortè ex amanuensium incuria loco Teophilacti in textum irrepserit nomen Chrysostomi, cuius ibi facta fuerit mentio.

APPENDIX SECVNDA.

Ad ea, quæ habentur in Paragrapho III. Quæstionis unicæ ex Controuersia X. de Voto solemni.

DIximus, in voto solemni continentiæ religioso iuxta sententiam D. Thomæ dispensari nõ posse. Et ad obiectionẽ Azorij de Militibus Calatrauæ, cum quibus dicebat, Clementem Septimum Summum Pontificem dispensasse, respondimus, fortè falsum esse, quòd Summus Pontifex cum illis dispensauerit. Hìc addimus, Milites Calatrauæ tempore Clementis Septimi non emisisse votum solemne castitatis, vnde ruit argumentum de dispensatione asserta Clementis Septimi. Nõ emisisse autẽ tempore Clementis Septimi milites illos votum solemne castitatis ex eo constat, quòd Eugenius Quartus, qui multò ante Clementem Septimum vixit, exoratus à Ioanne Rege Castellæ vt cum dictis militibus iam professis dispensare dignaretur in voto solemni, huiusmodi dispensationem denegauit, &, solùm indulsit, vt qui in posterum huiusmodi mi-

lita-

litarem Religionem ingrederentur castitatis votum non emitterent. Ita refert Odoricus Rainaldus in Ecclesiasticis Annalibus tom. 18. ad annũ 1441. vbi affert verba eiusdẽ Eugenij ad præfat. Ioannem Regem, in quo Eugenius sic loquitur.

Quoad factum Ordinis de Calatrauo, quod supplicas, reuocari quod actum est, miramur paulùm de petitione tua. Scis enim te sępius scripsisse nobis, & hortatum esse, vt non modò hoc idem agere vellemus, sed (quod longè maius erat) vt cum iam Ordinem professis dispensaremus, vt possent nubere. Id verò cum minùs graue esset, quod honestius esse videbatur concessimus, vt illius Ordinis professio non contineret castitatis votum. Itaque cum literę tuę nos plurimum mouerunt, tum multis honestis causis ad id sumus adducti, sciebamus, illum esse Ordinem militarem, non propter diuinum cultum, sed propter bella, & defensionem Christianorum institutum; propterea Laicos esse omnes, nulli ordini ecclesiastico astrictos: audiebamus prętereà, multos inhonestè viuere, & ea agere, quæ meritò apud Deum, & homines reprehendi possent; & cum secundùm Apostoli sententiam melius esset nubere, quàm vri, visum est nobis vtilius cum vxore viuere, quàm cum meretrice. Itaque si id modestius egimus, ad quod per tuas literas hortatus es, & quod nobis pro honore Dei, salute animarum, pro honestiori vita, pro vtilitate Ordinis visum est expedire, velis tuismet supplicationibus, etiam

modificatis acquiescere, neque velis mutare sententiam post factum, cum ante quam fieret, nobis vt fieret supplicasti. Hæc Eugenius, ex quibus & confirmatur sententia D. Thomæ; cum Eugenius in voto solemni religioso dispensare noluerit, etiam exoratus à Rege Castellæ existimans, fortè votum solemne religiosum non esse dispensabile, & magis apparet lapsus Azorij, qui dixerat, Clementem Septimum cum illis equitibus in voto solemni continentiæ dispensasse.

APPENDIX III.

Ad ea, quæ in eadem Controuersia de indispensabilitate voti solemnis quoad mentem D. Thomę habentur Paragrapho 1. & 2.

DIximus in Controuersia illa loc. cit. certum esse, quòd iuxta sententiã D. Thomæ votum solemne religiosum non sit dispensabile; & aduersus autorem Manualis Controuersiarum Thomisticarum ostendimus, Diuum Thomam in secunda secundæ retractasse quæ hac in re iunior docuerat in libris sententiarum. Sed quia in defensione quadam manuscripta eiusdem Manualis, quæ ad nostras manus peruenit, illius autor iterum aliquibus

argu-

argumentis contendit, Sanctum Doctorem in secunda secundæ nõretractasse quæ docuerat in Sentẽtiarijs quoad voti Solemnis dispensabilitatẽ, sed in eadem vbique permansisse sententia, docente scilicet, in votoSolẽni dispensari posse; soluemus hìc eiusdem autoris pro hac re argumenta, vt Sancto Doctori suam sententiam vindicemus. Nec enim sub specie seruandæ constantiæ in Doctore Sancto, suas veras, ac proprias sententias ei adimere debemus. Vnde meritò noster Ioannes à S. Thoma in Opusculo de approbatione doctrinæ D. Thomæ Disput. 2. redarguit Autorem Elncidarij, qui vbi ausus est notare plures propositiones D. Thomæ alias verissimas, inquit, *nullam propositionem damnatam à calamo, & mente* D. *Thomę profectam, sed si qua est, à tempore, ab amanuensibus, à typographis irrepsisse; nolle se iudicium ferre, an omnes propositiones ab ipso relatæ mereantur censuram, & quam. Se tamen nihil sinistrum in operibus* D. *Thomę nisi ex deprauatione codicum admittere.* Qua tã bella vrbanitate, subdit Ioannes à S. Thoma, & modesto iudicio hoc agitur, vt qui tot propositiones; vt putantur ab authore Elucidarij censurabiles in nullo libro aut viderunt, aut exceperunt; & ex alia parte ridicula euasio est dicere, quòd in omnibus illis acciderit mendosus error in codicibus D. Thomæ, cum hodie præ manibus omnium,

ſinè alia emendatione verſentur. quid tandem iudicare poſſunt, niſi actũ eſſe de authoritate D. Thomę in libris, quos vt legitimos habemus, neque enim alii emendatiores extant; ſicque iudicium Sedis Apoſtolicæ, quæ tot præconijs doctrinamD. Thomæ extollit, tot euulgatis erroribus, hæreticis exſibilandum, execrandumque relinquitur.

Et quidem quemdam autorem legi, qui relata ſententia, quæ verè eſt D. Thomæ, dicit, eam non eſſe D. Thomæ, quòd ſententia illa cenſurabilis ſit, indeque aliam ſententiam longè diuerſam affingit Sancto Doctori, quam Doctor Sanctus nunquam docuit. Et hac via ſub prætextu propugnandi doctrinam D. Thomæ, illam impugnat.

Sed ad rem noſtram. Vt oſtendat defenſor Manualis, Diuum Thomam in ſecunda ſecundæ non retractaſſe quæ dixerat in Sententiarijs de diſpenſabilitate voti ſolemnis, hoc argumentum profert. Prima & Tertia pars ſpeculi moralis Belluacenſis cõſtat eiſdem verbis, quibus magna pars ſecundæ partis ſummæ S. Thomæ; vnde ſequitur, Belluacenſem vidiſſe dictam ſecundam partem iam editam, de qua in ſuum ſpeculum multa intuliſſe apparet, aliàs oporteret dicere, S. Thomam accepiſſe multa, quæ ſcripſit in illa ſecunda parte à Belluacenſi, quod

re-

reputatur inconueniens. Si verò Belluacensis obijsset anno 1256. vt vult Antonius Lusitanus in sua Bibliotheca, cogeremur dicere, S. Thomam edidisse illam secundam partem ante annum 1256. & multò magis ante annum 1263. circa quem annum saltem mittebat scriptum alterum super sententias ad Annibaldum Cardinalem, qui illo anno fuerat ad purpuram euectus, & consequenter secundam suam partem S. Thomas edidisset in iuuentute, scilicet ante triginta duos ætatis suæ annos, quos agebat quando obijt Belluacensis, si hic obijsset anno 1256. obijt enim S. Thomas quinquagenarius an. 1274. & sic decem, & octo annis post Belluacensem, quibus demptis à quinquaginta remanent 32. Vnde cum Annibaldus ad Cardinalatum promotus fuerit anno 1263. videtur, quòd S. Thomas, cum scriptnm illud mittebat, vel secundam partem paulò ante compleuerat, vel actualiter circa eam versabatur; hinc probabilius sibi semper fore, inquit autor Manualis, S. Doctorem in ea, quam docuit in primo scripto super sententias opinione, semper fuisse constantem, nam incredibile prorsus est, Doctorem Sanctum sibi eodem fere tempore esse voluisse contrarium, itaut scriberet in secunda secundæ, Votum Religionis solemnizatum ignoranter quosdam Iuristas dixisse dispensabile, cũ paulo ante, vel post scribendo

ad

ad Annibaldum dixerit, ſecundùm aliquos eſſe diſpenſabile propter aliquam maximam Eccleſiæ vtilitatem. Hæc autor manualis.

Cuius argumẽti vis in eo ſita eſt. Quòd S. Thomas ſcripſit Sententiarios ad Annibaldũ, poſtquam confecerat ſecundam ſecundæ, nam Annibaldus ad purpuram euectus fuit, anno 1263. cum autem Belluacenſis obierit ante annum 1263. & idem Belluacenſis plura in ſuo ſpeculo morali ſubfuratus ſit à D. Thoma in ſecunda ſecundæ, conſtare videtur, Sententiarios ad Annibaldum conſcriptos fuiſſe à D. Thoma poſt confectam ſecundam ſecundæ. Cũ autem in Sententiarijs ad Annibaldũ doceat S. Doctor, Votũ ſolẽne eſſe diſpenſabile, hæc videtur vera mens eiuſdem S. Doctoris, cum ſit vltima, & poſterior his, quæ dixerat in ſecunda ſecundæ.

Sed facilè reſpondetur, certum eſſe, quòd S. Thomas Summam Theologiæ conſcripſerit poſt conſcriptos Commentarios in libros Magiſtri ſententiarũ. Nam vt bene obſeruat Ioannes à S. Thoma loc. cit. libros ſententiarum interpretatus eſt D. Thomas cum legeret in Vniuerſitate Pariſienſi pro forma, & gradu magiſterij. Antequam verò Pariſijs legeret ſententias, non potuit ſummam componere, quia miſſus eſt Pariſios è Colonia, vbi erat Alberti Magni auditor, ex ipſius Alberti præſcripto, & Hu-

gonis Cardinalis, vt videri poteſt in Hiſtoria Vitæ eius præfixa in Operibus Romæ impreſſis iuſſu Pij V. & in Hiſtoria Guillelmi de Toco apud Porrectã ſuper tertiam partem. Tunc autem erat adhuc diſcipulus Alberti, & valde iuuenis, nam Magiſterium accepit ætatis anno 25. & ante Magiſterium iam legerat ſuper quatuor libros ſententiarum, vt in prædictis hiſtoriis dicitur.

Idem conſtat ex Ptolomeo Lucenſi in ſuo Chronicõ manuſcripto Summorum Pontificum & Sacrorum Doctorum, atque Principum &c. quod aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana, & in Bibliotheca locupletiſſima Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini, cuius benignitate licuit mihi Codicem illum aliquamdiù apud me retinere, peruoluere, & obſeruare. In eo igitur habetur, Diuum Thomam ſcripſiſſe ſuper ſententias tempore Alexandri Quarti; Summam verò ſcripſiſſe tempore Clementis Quarti, qui fuit poſt Vrbanũ Quartum ſucceſſorem Alexandri Quarti.

Fuit autem Ptolomeus, vt ipſe ibidem teſtatur, Auditor, & familiaris Sancti Doctoris, eiuſque proindè authoritas irrefragabilis eſt. Vnde eruditus Franciſcus Maria Florentinus lib. 1. Memoriarum Comitiſſæ Matildæ, Ptolomeum dicit fidelẽ, & exactum hiſtoricum rerum ſui temporis.

Ipſe

Ipſe etiam ſtylus, vt pariter obſeruat Ioannes à S. Thoma, grauitas, maturitas, methoduſque admirabilis Summæ Theologiæ apertè clamant, eã fuiſſe maturioris mentis partum, qui tam ſolidè, grauiter, ac reſolutoriè de omnibus iudicium ferat. Totum ipſum opus adeo auguſtioris ſtyli eſt, vt cũ Sententiariis collatũ videatur Sol inter medias ſtellas emicare. Nec minùs ponderat, quòd ſi D. Thomas in iuniore ætate ſummam confeciſſet, non ita reliquiſſet imperfectam in vltima ſui parte, quam tamen morte præuentus perficere non potuit. Hæc & alia ibi Ioannes à S. Thoma.

Eadem priùs obſeruauerat Iacobus Granado Societatis Ieſu inſignis Theologus tom. 1. in 3. par. in Diſput: *An Sanctus Thomas sit author Summę Theologiæ, ſeu trium partium, quę nomine eius circumfertur*, nam ſect. 4. reiicit Henricum de Guzman, qui dixerat, Summam Theologiæ, ſeu tres partes ſcriptas eſſe à S. Thoma adhuc recentiori, poſteà verò in ætate, ac ſcientia maturiorem edidiſſe commentarios in libros ſententiarum. *Diſplicet hic autor*, inquit Granado, *quia communis conſenſus eſt, libros ſentiarum priùs fuiſſe ſcriptos, poſteà verò à S. Thoma, longè ſapientiori editam fuiſſe ſummam Theologiae; vnde tanquam rem indubitatam id affirmat Ferdinandus de Caſtillo tom. 1. lib. 3. cap. 2. Deinde qui attentè perpenderit*

rit mirabilem seriem, & dispositionem rerum, quas S. Thomas tractat in summa, grauitatem styli, materiarum comprehensionem, connexionem opinionum, non solùm mirabitur, & suspiciet, sed planè etiam comperiet, opus esse sapientissimi Theologi, & quæ in libris sententiarum scripsit, esse quasi opus discipuli si cum summa cõparentur. Hæc & alia Granado.

Sed quoad tempus scriptionis Sententiarum, ac Summæ Theologiæ negari nequit, S. Thomam Summam Theologiæ scripsisse post Commentarios in libros sententiarum, cum idem S. Doctor aliqua retractet in Summa, ac retractare se dicat de his, quę docuerat in Commentarijs in libros sententiarum. Vt autem id manifestè appareat, afferemus loca, & verba S. Doctoris Tertia parte quæst. 9. art. 4. loquens de scientia acquisita animæ Christi sic ait. *Et ideò quamuis aliter alibi scripserim, dicendam est in Christo fuisse scientiam acquisitam.* Hoc autem alibi scriptum extat in 3. sent. dist. 14. q. 3. art. 3. nec alibi ita reperitur.

Item 3. p. q. 70. art. vlt. refert opinionem dicentiũ quòd gratia collata in circumcisione non valebat ad resistendum omni concupiscentiæ: *Quod etiam*, inquit, *aliquando mihi visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum &c.* Illud autem sibi visum fuerat in 4. sent. dist. 1. q. 2. art. 4.

Rurſus 1.p.q.36. art.4. ad 7. relata opinione,quã ſecutus fuerat in 1. ſent. diſt. 11. quòd Parer, & Filius ſint duo Spiratores, & non ſolùm duo ſpirantes, reijcit illam dicens, *ſed melius videtur dicendum quòd ſint duo ſpirantes, ſed non duo ſpiratores.*

Præterea in 3. ſent. d.34. q.1. art. 2. diſtinguit inter dona Spiritus Sancti, quæ ſunt in intellectu, quòd alia perficiuut partem ſpeculatiuam, vt Intellectus, & Sapientia, alia partem practicam, vt Conſilium, & Scientia, quod etiam docuit 1. 2. q. 68. at verò 2. 2. q.8. art.6. id retractat dicens. *Sed d ligenter intuenti Donum Intellectus non ſolùm ſe habet ci ca ſpeculatiua, ſed etiam circa operanda, & ideo oportet aliter eorum distinctionem accipere &c.* Vnde patet quòd ſecunda ſecundæ non ſolùm poſt Sententiarios, ſed etiam poſt primam ſecundæ fuerit à D. Thoma cõſcripta.

Rursùs in eadem ſecunda ſecundæ q.60. art 2. retractat, ſeu explicat quæ de Iudice in peccato mortali iudicante docuerat in 4.ſent.d.19.q.2. art.2. queſtiuncula 2. vt aduertit Michael Salonius tom. 1. de Iuſtitia, & Iure q.60. cit. & ante illum aduerterat Caietanus ibidem. Nam cum in quæſtiuncula cit. docuiſſet Prælatos ex officio corripientes peccare mortaliter ſi exiſtentem in peccato mortali etiam occulto alios corripiant, quòd indignè vtantur offi-

cio

cio Prælationis, id ipſum retractat. 2.2. q. & art. cit. ad 3. inquiens, quòd illi, *qui ſunt in grauibus peccatis non debent iudicare eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, vel minoribus, vt Chryſoſtomus dicit ſuper illud Matthei 7. Nolite iudicare; & pręcipuè hoc eſt intelligendum quando illa peccata ſunt publica, quia ex hoc generatur ſcandalum in cordibus aliorum; ſi autem non ſint publica, ſed occulta, & neceſsitas iudicandi immineat propter offitium, poteſt cum humilitate, & timore, vel arguere, vel iudicare, &c.*

Præterea 3. p. q. 62. art. 1. & q. 68. art. 6. & quæſt. 84. art. 3. retractat quæ de poteſtate Clauium dixerat in 4. ſent. diſt. 18. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. vti Commentator Magiſtri, vt obſeruat Syluius in ſupplemento 3. p. q. 18. art. 1. Quòd poteſtas Clauium ordinatur aliquo modo ad remiſſionem culpæ non ſicut cauſans, ſed ſicut diſponens ad eam, nam 3. p. q. 62. art. 1. docet quòd omnia Sacramenta ſunt cauſa inſtrumentalis phyſica gratiæ, & q. 84. art. 3. docet, Sacerdotem proferentem illa verba, *Ego te abſoluo*, oſtendere hominem abſolutum non ſolùm ſiguificatiuè, ſed etiam effectiuè. Et q. 86. art. 6. docet, remiſſionem culpæ, quæ eſt effectus pænitentiæ ex virtute Clauium, quam habent, cauſari.

Igitur ad ſenſũ patet, Summam Theologiæ poſt Sententiarios à D. Thoma fuiſſe conſcriptam. Et

ex his in re proposita sic arguitur. S. Thomas 2.2. vt ostendimus controuersia vndecima soluit argumenta, quæ in sententiarijs adduxerat pro opinione asserente Votum solemne Religiosum esse dispensabile, igitur sententia, quam vltimatè docuit S. Doctor est illa, quæ docet Votum solemne religiosum esse indispensabile.

Idem constat de Sententiarijs ad Annibaldum, eos videlicet à S. Doctore ante Summam Theologiæ scriptos fuisse, cum in Summa nonnulla retractet ex his, quæ docuerat etiam in Sententiarijs illis; suntque illamet, quæ, vt vidimus, retractat in Summa Doctor Sanctus ex primis quoque Sententiarijs, vt eadem loca conferenti patebit.

Falsum est autē, Belluacensem obijsse anno 1254. Nam in primis certum est, quòd Belluacensis viuebat anno 1260. Scripsit enim Epistolam consolatoriam ad Ludouicum Galliæ Regem super mortem primogeniti sui, quam inter eius opera recenset breue Chronicon Magistrorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quod habetur post constitutiones eiusdem Ordinis; idemque habet Ferdinandus del Castillo 1. par. Historiæ Ordinis Prædicatorum libro 2. cap. 169. Mortuus est autem primogenitus Sancti Ludouici anno 1260. idest anno 8. Alexandri IV. vt constat ex ipsius Pontificis epistola 26. ad

præ-

prædictum Regem ſuper eadem morte, vt refert Bzouius anno 1260.

Sed, & ex Ptolomeo Lucenſi in ſuo Chronicon laudato conſtat, Summam Theologiæ à D. Thoma conſcriptam fuiſſe poſt conſcriptos Sententiarios ad Annibaldum, nam Sententiarij illi conſcripti fuerunt tempore Vrbani Quarti circiter ann. 1263. aut 1264. quo tempore Annibaldus ad purpuram fuerat promotus; Summa verò Theologiæ quoad primam partem, primam ſecundæ, & ſecundam ſecundæ conſcripta fuit à D. Thoma tempore Clementis Quarti, vt expreſsè teſtatur idem Ptolomeus in dicto Chronicou lib. 22. cap. 39. his verbis. *Huius tempore* (ſcilicet Clementis Quarti) *dictus Doctor* (S. Thomas) *ſcripſit Summam, quam in tres partes diuiſit, videlicet naturalem; quia ibi diffinit de naturis rerum, & primò de Diuina eſſentia, & ſecundò de rebus creatis. Secundam partem vocauit moralem, quam diuiſit in duo volumina: Vnum volumen accepit in vniuerſalibus materijs, quę & primę, & ſecundæ vocantur reſpectu philoſophię moralis; alia verò pars ſpeciales materias continet virtutum omnium, & vitiorum; tota fundata, & ornata Philoſophorum dictis, & rationibus, ac Doctorum Sanctorum auctoritatibus, quam ſecundam ſecundæ reſpectu eiuſdem materiæ appellamus. Tertia autem pars Summę, quę eſt quartum volumen Sacramen-*

talis

talis vocatur, quia in ea de Sacramentis agitur, & Incarnatione verbi; & vltima pars dicitur, quia vltimò facta, siue quia finis est aliarum. Istius ergo Summę tres partes quasi scripsit tempore huius Pontificis, & vacationis sequentis, quę fuit spatium duorum annorum, quia computantur in vacatione tres menses, cum iam peruenit Viterbium, à tempore suę creationis &c. Hæc Ptolomeus, qui pariter lib. 23. cap. 11. addit D. Thomam tempore Gregorij Decimi scripsisse Tertiam partem his verbis. *Hic Doctor* (S. Thomas) *tempore huius Pontificis* (Gregorij Decimi) *scripsit vltimam partem Summę, quę Sacramentalis vocatur, quia de Sacramentis ibidem agitur, & de Incarnatione Verbi, in qua articuli fidei continentur secundum ipsius humanitatem, sed non compleuit morte pręuentus &c.*

Ex his dissipantur omnes dubietates, nam in primis apparet, D. Thomam autorem fuisse Secundę secundæ, non verò Belluacensem. Deindè quòd cũ S. Thomas Secundam secundæ scripserit propè finẽ Pontificatus Clementis Quarti, ac duobus annis vacationis Sedis, cum Gregorius Decimus successor Clementis electus fuerit in Pontificem die prima Septembris anni 1271. iam Secunda secundæ, in qua D. Thomas agit de voto, conscripta erat post Sententiarios ad Annibaldum, qui conscripti fuerunt tempore Vrbani Quarti, qui fuit ante Clementem

Quar-

Quartum, ac proindè S. Thomas retractare potuit, vti retractauit in Summa quæ docuerat in Sententiarijs illis ad Annibaldum. Et per hæc patet ad argumentum superiùs allatum ex defensore Manualis Controuersiarum Thomisticarum.

Illud porrò hic obseruandum, quod etiam obseruauimus in nostris Controuersijs, S. Thomam in Sententiarijs ad Annibaldum dum agit de dispensabilitate voti solemnis, nihil determinatè diffinire, sed argumenta soluere in vtraque sententia, negante, & affirmante in voto solemni dispensari posse; vnde iure diffinire debuit in Summa quod in Sentētiarijs illis indiffinitum reliquerat. Immò Petrus Bergomensis in Concordantijs dictorum, & conclusionum D. Thomæ dub. 1208. dicit inter alia, quòd S. Doctor in prioribus sententiarijs, cum ait, votum solemne in aliquo casu dispensari posse, loquitur secundùm opinionem aliorum & ideò ait quòd *alij dicunt probabiliùs*, idest alij dicunt esse probabiliùs &c. Vnde respondet argumentis ad vtramque partem. In secunda verò secundæ loquitur secundùm propriã sententiam. Hæc Bergomensis.

Sed & illud ex verbis allatis Ptolomei colligitur, Belluacensem videlicet post annum etiam 1271. vixisse, nam cum ex multis rationibus constet, Belluacensem plura ex D. Thoma in prima secundæ,

ac

ac ſecunda ſecundæ mutuatum fuiſſe,& in ſuum ſpeculum morale, ac doctrinale induxiſſe, vt oſtendit noſter Vincentius Ferre Regens Collegij S. Thomę Aquinatis de Vrbe in Quæſtione prolegomena ſuis doctis Commentarijs in ſecundam ſecundæ D. Thomæ præfixa; cum S. Thomas tres illas partes Summæ compleuerit anno 1271. Euidens eſt, Belluacenſem aliquo tempore vixiſſe poſt annum illum 1271. vt mutuari potuerit illa plura ex prima ſecundæ, ac ſecunda ſecundæ D. Thomæ, & in ſuum ſpeculum inducere. His conſonat quod refert noſter Baronius in ſuis libris apologeticis lib. 1. ſect. 2. quòd nempè multi tradunt, Vincentium Belluacenſem ſua illa inchoata, & prouecta opera S. Ludouici munificientia, abſoluiſſe liberalitate Philippi paternæ potentię, & virtutis hæredis, qui patri ſucceſſit anno 1270.

Et forte Belluacenſis ſuperuixit D. Thomæ, ideſt vltra annum 1274. vt multi affirmant, & referunt, nec reijciunt Theologi Vedaſtini in noua impreſſione Belluacenſis Duaci 1624. Neque obſtat quòd Belluacenſis nil ex Tertia partē D. Thomæ in ſuũ ſpeculum tranſtulerit, nam id fortè contigit, quia Belluacenſis ſpeculum ſuum peruulgauerat ante quã videre potuiſſet Tertiam partem D. Thomæ, quæ non niſi poſt mortem eiuſdem S. Doctoris diuulgata fuit, cum viuente S. Doctore ab eo completa non

fue-

fuerit, completis tamen ab ipso S. Doctore, ac diuulgatis alijs partibus eiusdem Summæ.

Idem Ptolomeus ibidem affirmat, Catenam auream, seu Continuum esse opus D. Thomæ, *adeoque præclarum* (inquit ipse) *vt non sine magna tradentis subtilitate, & inspiratione Spiritus sancti, cuius D. Thomas organum mirum fuit, conscriptum fuerit &c.*

Vnica hæc Ptolomei authoritas obstruit os præteritorum, præsentium, ac futurorum, ne mussitare audeant, & insigne hoc opus D. Thomæ subrrahere. Vnde constat palmare eorum commentum, qui Opus istud cuidam Pontio Carbonello Minoritæ adscribere voluerunt, cum præter irrefragabilem Ptolomei authoritatem, alia & ipsa irrefragabilia suppetant argumenta, quæ id falsum esse apertè cõuincant, vt ostendit noster Vincentius Ferre in erudito Opusculo, quod in hanc rem summa diligentia concinnauit. Ex eo aliqua hic afferremus, vt veritas clarè pateat.

Igitur Continuum, quod Catenam auream dicimus, compositum fuit à D. Thoma de mandato Vrbani Quarti, hoc est circa annum 1262. vel 1263. aut etiam 1264. Tunc verò temporis dictus Pontius Carbonellus nòn erat in ea ætate, vt potuerit Opus illud componere, nam Pontius tunc erat annorum nouẽ, vel decem; quod sic euidenter ostenditur. Quia

Põtius iſte Carbonellus octogenarius fuit(vt Gueuara, ſeu Alua illius Commenti author teſtatur in ſuo *Iudicio*, quod inſcripſit, *Salomonis*) & inter mortales degebat anno 1334. ergo anno 1263. octo, vel decem annorum erat, nam demptis annis 71. ab annis 1334. relinquitur annus 1263. in quo computatis nouem annis, qui cum alijs 71. faciunt annum octogeſimum, qui erat annus; quo viuebat Carbonellus, anno ſcilicet 1334. euidens eſt, Carbonellũ anno 1263. nõ fuiſſe niſi in ætate nouẽ annorum, vel circa.

Quòd autem Carbonellus inter mortales degeret anno 1334. eſt etiam certum; nã in Chronologia hiſtoricolegali Seraphici Ordinis Fratrum Minorum S. Patris Franciſci impreſſa Neapoli anno 1650. fol. 46. hæc habentur.

Incipit *epiſtola Generalis Miniſtri ad Prouinciales Miniſtros Ordinis Minorum de acceptis Conſtitutionibus Benedicti XII.* Et deinde. *In Chriſto mihi Cariſſimis fratribus*, Miniſtro, *Cuſtodibus, Guardianis, cæteriſque Fratribus Ordinis Minorum, Frater Gerardus Generalis Miniſter, & Seruus ſalutem, & pacem in Domino ſempiternam.*

Litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Benedicti Diuina prouidentia Papæ XII. Ordinationes per eum iuxta ſtatum noſtrum editas, mandata, & voluntatem ipſius pleniùs continentes me nouerint cum

debita

debita reuerentia recepisse, cum diligenria inspexisse, et in nostro generali Capitulo apud Cathurcum anno Domini 1334. in Pentecoste celebrato solemniter legisse, et publicari fecisse. Quarum litterarum tenor de verbo ad verbum hic est.

Incipiunt Constitutiones

PROLOGVS.

Benedictus Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Redemptor noster factor calorum, & vniuersę Conditor creature, hominem creaturarum terrestrium dignissimum, ideò ad imaginem suam condidit, vt in bonis, & sanctis operibus suis sit imitator authoris, & hanc esse voluit humani generis dignitatem, vt in eo quasi in quodam speculo, & Diuinę imaginis forma resplendeat, & Sanctorum operum reluceant actiones, donans ei secundùm vnum, & eundem spiritum diuersorum dona carismatum, secundum gratias differentes fundans militantem Ecclesiam, eamque insigniens diuersis conditionibus hominum in Christo credẽtium et ordinibus in Diuinis exequijs militantium personarum, quę viuentes sub regula, ab ipsa iter rectè viuendi recipiant, et transigendi pręsentis militię cursum per Diuinorum semitam mandatorum normam sanctam su-

 sci-

ſcipiant, & laudabilem diſciplinam. Vt igitur in ſacro Fratrum Minorum Ordine, quem ab olim geſſimus, & gerimus in viſceribus charitatis, Diuinorum officiorum ſacrificium, debitumque ſilentium, ciborum abſtinentia, & ſanctimonia habitus obſeruentur; ſtudium quoque ſacrę paginę in dicto Ordine vigeat, & perſonis eiuſdem Ordinis ad hoc aptis inſiſtendi diſciplinis Scholaſticis commoditas miniſtretur, ac charitas Dei, ex qua virtutes cęterę generantur, regnet, & ferueat in cordibus eorundem; cętereque regulares obſeruantię ſic exemplariter luceant in eiſdem, vt ſint etiam alijs rectè viuendi ſpeculum, & imitandę ſanctitatis exemplum, ad laudem Dei, & ſpiritualem profectum omnium militantium in Ordine memorato, infraſcriptas ordinationes in dicto Ordine auxiliante Deo perpetuis futuris temporibus obſeruandas adhibitis etiam compluribus etiam à nobis ad hæc viris optimis S. R. E. Cardinalibus, videlicet Venerabilibus fratribus Petro Pręneſtinenſi, Guanſelmo Albanenſi Epiſcopis, ac dilectis Petro tit. Sanctę Praxedis Presbytero, ac Gerardo Eccleſię S. Lucię in Silice, & Beltrando Eccleſiæ S. Marię in Acquiro Diaconibus Cardinalibus, ac etiam venerabilibus Fratribus noſtris ſocio, Patriarcha Conſtantinopolitano, & Iacobo Epiſcopo Brixiæ, Gilberto S. Victoris Maſſilienſis, ac Guillelmo Mōtis Soloni dilectis filijs Carcaſſonenſis Diœceſis Abbatibus Monaſteriorum Carthuſienſium Diaconibus, nec non Geraldo Generali, Henrico Francię, Ioanne

Burgundiæ, nec non Pontio Corbonello Arragonię, ac Petro de Saxo Ferrato Marchię Anconitanae, Philippo quōdam Mediolanensi, Laurentio Terraelaboris Prouincialibus Ministris, Nicolao de Orio, Gualtero Canto, Guillelmo Bernaro de Podio; Antonio de Valentia, Fortunerio Vassalli Sacrae Theologiae Magistris, ac Petro de Strada Procuratore in Curia dicti Ordinis Minorum eiusdem Ordinis Professoribus prouidimus faciendas.

Hactenùs Bulla, quæ data fuit apud Cathurcum anno 1334. in qua habetur, Pontium Carbonellum tunc Prouincialem Arragoniæ vnum fuisse ex illis grauissimis Patribus, quorum consilio Benedictus XII. prædictas constitutiones confecit; ergo illo anno viuebat Pontius Carbonellus, ac proinde ex annorum computatione constat, Pontium Carbonellū anno 1263. vel circa, quo tempore expositionem in Euangelia, seu Continuum, quod Catena aurea dicitur, confecit S. Thomas, non fuisse maioris ætatis, quàm nouem vel decem annorum. Non ergo ex Carbonello accipere potuit S. Thomas, quæ habet in sua Catena aurea, sed ex Diuo Thoma procul dubio accepit Carbonellus quæ habet in suo Opere. Quod etiã ex eo euincitur, vt rectè obseruat Vincentius Ferre, quòd expositio in Euangelia, seu Catena aurea Diui Thomæ in authoritatibus Sanctorũ, & Glossarum multum excedit Opus, quod asseritur

Car-

Carbonelli, nullus autem rationabiliter dicet, ex compendio acceptum esse longiorem tractatum, sed potiùs ex longiori tractatu compendium.

His accedit, Continuum illud, seu expositionem in Euangelia, quæ asseritur Pontij Carbonelli nunquam apparuisse impressam, nec ab authore aliquo allegari, è contra verò Catenam auream D. Thomæ in pretio ab omnibus haberi, & allegari à Doctoribus, quod profectò signum est, incomparabiliter Catenam auream D. Thomæ execedere expositionem illam assertam Carbonelli.

Hæc, & alia plura in Opusculo allegato Vincentij Ferre, qui & alia erudita scripsit in defensionem doctrinæ D. Thomæ nondum prælo mandata.

Idem Ptolomeus in eodem Chronicon inter alia D. Thomæ opera recenset Quodlibeta his verbis *Hic etiam* (scilicet S. Thomas) *notauit suas quaestiones de quolibet; in quibus multa dubia docta tractantur, magnaque in eisdem scientia continetur*. Et post recensita alia omnia opera S. Thomæ hæc subdit Ptolomeus de eodem S. Doctore. *Quid plura? Arca fuit Philosophiæ & Theologiæ, & admirandum, quòd tantùm scribere potuit, quia parùm vixit respectu aliorum Doctorum.*

Ex eodem Ptolomeo non nulla de eodem Sancto Thoma affert Odoricus Rainaldus in Annali-

bus

bus Ecclesiasticis, eundemque Ptolomèum laudat D. Antoninus 3. p histor. tit. 18. cap. 10. §. 2.

APPENDIX IV.

Ad Controuersiam XII. de Repugnantia voti in Christo An votum ex propria ratione formali habeat firmare voluntatem vouentis in bono.

FRanciscus Suarez tom. 1. in tertiam partem D. Thomæ q. 40. art. 3. sect. 2. vt euadat vim rationis eiusdem S. Doctoris secunda secundæ q. 88. art. 4. ad tertium docentis, quòd Christo non competebat vouere, nec etiam in quantùm homo erat, quia voluntas eius firmata erat in bono; ait, votum nec solùm, nec præcipuè esse propter firmandam volũtatem, sed propter offerendum Deo obsequium, consecrandamque, & ad nobiliorem ordinem eleuandã ipsius voti materiam, ac denique, vt actus ex voto factus perfectior sit, quàm sine voto. Hinc infert, in Christo esse potuisse votum etiam si voluntas eius priùs esset firmata in bono.

Hoc ipsum confirmat à paritate præcepti, quod positum fuit Christo etiamsi haberet voluntatem firmatam in bono, idemque facturus esset etiam si non interueniret præceptum, quia, inquit ipse, præ-

ceptum

ceptum non ſemper ponitur propter inducendam, ſeù confirmandam voluntatem, ſed per ſe propter ipſius obedientiæ bonum.

Idem indicat Franciſcus Syluius in ſecunda ſecũdæ q.88. art.44. vbi circa reſponſionem D. Thomæ ad tertium ait, quòd etſi Chriſto non competeret vouere ob eandem rationem, ob quam nobis competit, veriſimilius eſt, quòd verè, & propriè vouerit, quia votum ad virtutem Religionis pertinet, & plus honoris, ac reuerentiæ Deo exhibet, qui vouet, ac facit id, quod vouet, quàm qui ſolùm facit. Ad idẽ affert Diuum Thomam in Pſal. 21. dicentem quòd votum Chriſti fuit ſe dare pro ſalute Fidelium. Ipſe enim illud vouit in quantùm homo. Aſſert etiã illud pſalmi. *Salua me ex ore Leonis narrabo nomen tuum Fratribus meis*: Hoc enim videtur quędam promiſſio à Chriſto Domino facta in gratiarũ actionem.

Difficultatem hanc tetigimus in noſtris Controuerſijs Controu. 12. vbi contra præfat. Authores oſtẽdimus repugnaſſe votum in Chriſto in quantum Deus erat, quia Deo repugnat vouere; & in quantũ homo, quia Chriſtus habebat voluntatem firmatam in bono, quaſi comprehenſor exiſtens, vbi etiam aduersùs Authorem Manualis Controuerſiarũ Thomiſticarum diximus, de ratione formali voti eſſe

tur-

firmare voluntatem vouentis in bono.

Sed quia in cit. Opuſculo manuſcripto in defenſionem eiuſdem Manualis illius Author adhuc in ea opinione perſiſtit, non eſſe videlicet de ratione formali voti firmare voluntatem vouentis in bonũ, immò quaſi nulla in hoc ſit, aut eſſe poſſit difficultas animosè addit, *nec Sanctum Thomam in omni ſua doctrina, nec aliquem eius Interpretem, ſeu Theologum dixiſſe non competere vouere niſi ei, cuius voluntas firmari poſſit in bono, ita vt hæc conditio exigatur à priori, & ſit ex ipſius voti ratione formali petita*; Ideò vt magis eluceat germana mens Sancti Doctoris, & veritas ipſa difficultatem hanc hoc in loco ex profeſso agitabimus.

Dicendum igitur, Diui Thomæ, omniũq; Theologorum ſententiam eſſe, quòd votum ex propria, & eſſentiali ratione habeat firmare voluntatem vouentis in bono, votumque non competere niſi ei, cuius voluntas firmari poſſit in bono.

Antequam aſſertionem iſtam demonſtremus, præmittendum, quòd idem eſt oſtendere, D. Thomæ, omniumque Theologorum ſententiam eſſe, quòd votum ex propria, & eſſentiali ratione habeat firmare voluntatem vouentis in bono, ac oſtendere D. Thomæ, omniumque Theologorum ſententiam eſſe, quòd votum non competat niſi ei, cuius volun-

tas firmari poſſit in bono: Nam ſi votum ex propria formali & eſſentiali ratione habet firmare voluntatem vouentis in bono, non poterit profectò competere niſi ei, cuius voluntas firmari poſſit in bono; ſicut quia quantitas ex propria, & eſſentiali ratione habet extendere partes ſubſtantiæ, competere nequit niſi ſubſtantiæ, quæ ſit capax extenſionis, & poſſit extendi, vnde qui aſſerit de ratione propria, & eſſentiali quantitatis eſſe extendere partes ſubſtantiæ, aſſerit quantitatem non competere niſi ſubſtantiæ extenſionis capaci; Igitur qui cenſet de ratione eſſentiali voti eſſe firmare voluntatem in bono, cenſet votum non competere niſi ei, cuius voluntas firmari poſſit in bono: Vbi ergo demonſtrabimus, D. Thomam, & omnes Theologos cenſere de ratione eſſentiali voti eſſe firmare voluntatem in bono, demonſtrabimus, D. Thomam, & omnes Theologos cenſere votum non competere niſi ei, cuius voluntas firmari poſſit in bonum; indeque apparebit à D. Thoma, & à vera communique omniũ Theologorum ſententia illum recedere, qui dicit, *nec S. Thomam in omni ſua doctrina; nec aliquem eius Interpretem, ſeu Theologum dixiſſe non competere vouere niſi ei, cuius voluntas firmari poſsit in bono.*

Quòd autem S. Thomas in omni ſua doctrina & in omnibus locis, in quibus agit de voto, perpetuò

doceat, votum ex propria, & essentiali ratione habere firmare voluntatem vouentis in bono est adeò manifestum, vt id negare sit in meridie tenebras quærere. Quod vt manifestum fiat, afferemus testimonia Doctoris Sancti ipsa luce clariora.

In 2. 2. q. 88. agit de essentia voti, seu de voto secundum se, sicut in alijs quæstionibus agit de essentia aliorum actuum Religionis, aliarumque virtutum, vnde titulus primi articuli, qui cum alijs præmittitur in principio quæstionis est ille *Quid sit votum*. Necessariumque omninò erat, immo primum quod de voto querendum erat, in quo nempè sita sit eius essentia, quiduè habeat votum secundùm se, & ex propria ratione formali.

In hac ergo quæstione, vbi Sanctus Doctor agit de essentia voti, apertissimè docet, de ratione essentiali voti esse, quòd firmet voluntatem vouentis in bono. Nam in articulo primo docet, promissionem esse de ratione essentiali voti, immo votum nil aliud esse quàm promissionem his verbis. *Respondeò dicendum quòd votum quamdam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum. Obligat autem homo se homini ad aliquid per modum promissionis, quæ est rationis actus, ad quam pertinet ordinare &c. Promissio autē procedit ex proposito faciendi; Propositum autem aliquam deliberationem praexigit cum sit actus voluntatis deliberatæ.*

ratę. Sic ērgo ad votum tria ex necessitate requiruntur. Primò quidem deliberatio. Secundò propositum voluntatis. Tertiò promissio, in qua perficitur ratio voti. Hæc Sanctus Doctor.

Et ad primum ait, quòd *conceptio boni propositi non firmatur ex animi deliberatione, nisi promissione deliberationem consequente.*

En Diuus Thomas docet, promissionem esse de ratione formali voti, conceptionemque boni propositi firmari per promissionem; igitur docet, votum ex propria ratione formali firmare voluntatem vouentis in bono; cum enim promissio habeat obligare promittentem, habet proinde promittentem firmare, vnde ibidem Sanctus Doctor ait, quòd *votũ quamdam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum.*

Loquitur autem S. Doctor non de eo, quod votũ habeat per accidens, aut ratione subiecti, sed de eo, quod votum habet secundùm se, & ex propria essentia; igitur cum expresse doceat, quòd votum ex propria ratione formali habeat firmare voluntatem vouentis in bono docet, votum non competere nisi ei, cuius voluntas firmari possit in bono.

Rursùs in articulo quarto eiusdem quæstionis, vbi docuit, expediens esse vouere, cum sibi obiecisset, quòd per necessitatem, quam votum imponit, videtur

detur homo priuari libertate, quam Deus illi dedit, ac proinde quòd non expedit vouere; respondet, quòd votum de se habet firmare, immo necessitare, non tamen necessitate; quæ libertatem minuat; *Ad primum*, inquit, *dicendum, quòd sicut non posse peccare non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmatę voluntatis in bono, non diminuit libertatem, vt patet in Deo, & in Beatis; & talis est necessitas voti; similitudinem quandam habens cum confirmatione Beatorum. Vnde Augustinus dicit in Epistola 41. felix necessitas, quæ in meliora compellit.*

Idem docet q.189. art.2. ad 2. ait enim, quod *Necessitas, quæ ex obligatione voti requiritur, non est necessitas absoluta, sed necessitas ex fine, quia scilicet per votum non potest aliquis finem salutis consequi; nisi impleat votum. Talis autem necessitas nō est vitanda; quin immo vt Augustinus dicit ad Armentarium, & Paulinam, felix necessitas, quę ad meliora compellit.*

Et artic. 3. in corp. explicat, qua ratione votum dicatur firmare voluntatem in bono, & ad bonum obligare, *Eò quòd votum*, ait, *est promissio Deo facta de his, quę ad Deum pertinent. Vt autem Augustinus dicit in Epistola ad Bonifacium, si inter homines bonę fidei solent contractus nulla ratione dissolui, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit solui sine vindicta non potest? Et ideò ad implendum id, quod homo vouit, ex necessita-*

te tenetur, dummodo ſit aliquod, quod ad Deum pertineat. Hæc S. Doctor, ex quibus infert eum, qui per votum ſe obligauit ad Religionis ingreſſum, teneri Religionem ingredi ſecundùm quòd ſe voto obligare intendit. Et artic. 2 ad 3. dixerat, quòd *vouere Religionis ingreſſum eſt quędam confirmatio voluntatis ad meliora*.

Sed & in quæſtione 88. art. 4. ad 3. dixerat, quòd *Chriſto ſecundùm ſe non competebat vouere, tum quia Deus erat, tum etiam quia in quantùm homo habebat, firmatam voluntatem in bono, quaſi comprehenſor exiſtens*. Vbi ſupponit S. Doctor quod in eodem artic. ad primũ & alibi docet, per votum firmari voluntatem vouentis in bono, idque voto ſecundùm ſe, & ex propria ratione formali competere, aliàs eius ratio non conuinceret, qua probat, Chriſto votum nõ competere.

Artic. item ſexto in corp. ait, quod *triplici ratione facere idem opus cum voto eſt melius, & magis meritorium, quàm facere ſine voto. Primò, quia vouere eſt actus latrię, quae eſt praecipua inter virtutes morales; nobilioris autem virtutis eſt opus melius, & magis meritorium &c. Secundò, quia ille, qui vouet aliquid, & facit, plus Deo ſe ſubijcit, quàm ille, qui ſolùm facit &c. Tertiò, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonũ; facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonu*

perti-

pertinet ad perfectionem virtutis, *vt patet per* Philosophū *in secundo* : *Ethic. sicuti etiam peccare mente obstinata aggrauat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum*.

Et ad primum ait, quod *necessitas voti per immobilitatem fit voluntatis*, *vnde & voluntatem confirmat*, *& deuotionem auget*.

Et ad 2. *Necessitas*, inquit, *coactionis*, *in quantū est contraria voluntati tristitiā causat secundùm Philosophum*; *Necessitas autem voti in his*, *qui sunt bene dispositi in quantùm voluntatem confirmat*, *non causat tristitiā*, *sed gaudium*. *Vnde Augustinus dicit in Epistola ad Arment. & Paulin. Non te vouisse pœniteat*, *immo gaude*, *iam tibi sic non licere*, *quod cum detrimento licuisset*, *felix necessitas &c.*

Et ad 3. ait, quòd *ille*, *qui facit aliquid sinè voto habet immobilem voluntatem respectu illis operis singularis*, *quod facit*, *& tunc quando facit* ; *non autem manet voluntas eius omnino firmata in futurū sicut vouentis*, *qui suam voluntatem obligauit ad aliquid faciendum*, *& ante quam faceret illud singulare opus*, *& fortasse ad pluries faciendum*.

Quæst. etiam 189. art. 2. ait *Vnum & idem opus ex voto factum*, *esse laudabilius*, *quàm sinè voto fiat*, *tum quia vouere est actus religionis*, *quę habet quandam excellentiam inter virtutes*; *tum quia per votum firmatur*

vo-

voluntas hominis ad bonum faciendum ; & sicut peccatũ est grauius ex hoc, quòd procedit ex voluntate obstinata in malum, ita bonum opus est laudabilius ex hoc, quòd procedit ex voluntate confirmata in bonum per votum.

Idem docet in 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 1. quæst. 1. & in Opusc. de Perfect. Vitæ spiritualis cap. 12.

Et lib. 3. contra Gent. cap. 138. sic ait. *Patet autẽ, quòd ille, qui vouit se aliquid facturum intensius illud voluit, quàm qui simplititer facere disponit, quia non solum facere voluit, sed voluit se firmare, vt non deficeret a faciendo. Ex hac igitur voluntatis intensione redditur executio voti cum intensione quadã laudabilis &c.* Vbi noster Ferrariensis hæc habet. *Ad euidentiam huius rationis considerandum est, quòd cum quis aliquid vouet voluntatis intentio in duo fertur, scilicet in id, quod se facturum vouet, & in immobilitatem voluntatis, ac firmitatem, vult enim voluntatem suam esse firmatam, ac stabilitam in eo faciendo; ita quod non liceat sibi deinceps ab illo proposito resilire; propter hoc dicitur, quòd vouens se aliquod facturum, intensiùs in illud fertur, quàm nõ vouẽs, & agens; cuius voluntas non fertur nisi in actum, & quia hac intentio vouentis laudabilis est, laudabiliorque, quàm intentio proponentis, se aliquod bonum facturum, sed non vouentis, & manet virtute in executione operis, etiam quando de tali proposito voluntatis non cogitatur, ideo autem ipse in executione ex illa intentione prima vouentis,*

qua

qua disposuit, se firmiter, & immobiliter operari, aliquam ladabilitatem habet, quam non habet factum sine voto.

Est autem planè mirabilis glossa, qua in Opusculo præfato author ille Diuum Thomam in suam persuasionem pertrahere nititur, inquit enim, *Diuum Thomam, cum ait, opus ex voto factum laudabilius esse opere facto sine voto, tum quia vouens refert suum opus ad altiorem virtutem, quę est religio, tum quia firmat suam voluntatem in bono, assignare duas præcipuas conditiones voti, quæ non sint accipiendæ collectiuè, sed diuisiuè. Idque euidenter patere dicit, quòd idem Sanctus Doctor 3. par. q. 27. art. 5. ad 2. & de Verit. q. 24. art. 9. in argumento sed contra & ad 2. & in Opusculo 60. art. 3. doceat, Beatę Virginis voluntatem fuisse firmatam in bono per gratiam ante omne votum, & consequenter nō potuisset B. Virgo ex hac conditione vouere, & tamen in eadem 3. par. q. 28. art. 4. docet, Beatam Virginem laudabiliter vouisse virginitatem ex rationibus, quas adduxerat in secunda secundę q. 88. artic. 6. inter quas illa est, quòd per votum voluntas immobiliter firmatur in bono: At si loquamur de B. Virgine, excludere tenetur hanc rationē, nā in B. Virgine votum hunc effectum habere non potuisset, cum ipse doceat, per gratiam ante omne votum firmatā fuisse voluntatem B. Virgines in bono, & tamen sentit, B. Virginem fuisse capacem voti, & de facto vouisse*

 vir-

virginitatem laudabiliter, *ergo de mente D. Thomæ votum ſubſiſtit abſque eo quod firmet voluntatem in bono*, *ac proinde iuxta D. Thomam votum non habet ex propria ratione formali*, *& à priori firmare voluntatem in bono*. Hæc author præfatus.

Sed còntra iſtam gloſſam clamant verba ipſa D. Thomæ, ratio, diſcurſus, & omnia. Quis enim dicat, Sanctum Thomam in illis verbis, *opus ex voto factum laudabilius eſt opere facto ſine voto; tum quia vouens refert ſuum opus ad altiorem virtutem, quæ eſt religio; tum quia firmat voluntatem ſuam in bono*; aſſignare conditiones voti diuiſiuè, non collectiuè accipiendas, cum particula illa *Tum quia*, non ſit diſiunctiua, aut diuiſiua, ſed copulatiua, vt ex ſe cõſtat. Et ſenſus ipſe etiam grammaticalis eorum verborũ ille eſt, quòd opus factũ ex voto ex duplici capite laudabilius eſt opere facto ſine voto; quia videlicet vouens vouendo refert opus ſuũ ad altiorem virtutem, quæ eſt religio, & quia vouendo firmat voluntatem ſuam in bono.

Idem S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. ait, ex triplici ratione opus factũ èx voto laudabilius eſſe opere facto ſine voto; *primò, quia vouere eſt actus latriæ, quæ eſt præcipua inter virtutes morales; ſecundò quia ille, qui vouet aliquod & facit, plus* Deo *ſe ſubijcit, quàm ille, qui ſolùm facit; Tertiò, quia per votum immobiliter vo-*

lun-

luntas firmatur in bono: Hæc tria profectò S. Thomas collectiuè, ac simul in voto reperiri dicit, non diuisiuè in relatis verbis.

Præterea. S. Thomas, vt vidimus, docet, votum ex propria ratione formali, ac secundùm propriam essentiam habere quòd firmet voluntatem vouentis in bono, eo quod votum ex propria ratione formali, & secundùm propriam essentiam sit promissio Deo facta, promissio enim necessariò inducit obligationem, seu firmitatem quomodò ergo docere potuit, votum subsistere posse absque obligatione, seu firmitate?

Sed quàm disparatè, ac malè intellectum ab autore præfato illud de confirmatione in bono præstita Beatæ Virgini per gratiam sanctificantem, ex quo euidenter patere dicit, iuxta D. Thomam non esse de ratione formali voti firmare voluntatē in bono? Alia est enim, ac longè dispar confirmatio in bono, quam B. Virgini præstabat gratia, ab ea confirmatione in bono, quam eidem præstabat votum virginitatis. Gratia enim collata B. Virgini dicebatur illam confirmare in bono, quatenus præstitit B. Virgini, vt nunquam peccaret nec mortaliter, nec venialiter, vt ait S. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. & art. 6. ad 4. Immo Syluius in artic. 5. eiusdem quæst. ad 2. Diui Thomæ argumentum rectè obser-

uat, quòd B. Virgo quamdiū erat mortalis non fuit confirmata ab intrinseco, vt esset impeccabilis sicut Beati: sed primò quidem sic fuit custodita, vt non peccaret: postea vltrò accepit auctiorem gratiam ipsam in bono confirmantem modo conueniente statui viatoris, quæ non solū impediret motus inordinatos, sed etiam efficeret, vt appetitus non esset dispositus ad exeundum in illos. Et in hoc sensu dicit S. Thomas in eodem artic. 5. ad 2. B. Virginem in conceptione filij Dei accepisse gratiam consumatam confirmantem eam in bono. In eodemque sensu q. 28. de veritate art. 9. in argumento sed contra docet, B. Virginem in statu viæ confirmatam fuisse in bonò, vt ipse Sanctus Doctor se satis explicat in corp. eiusdem articuli, nam sic ait; *Aliquis potest confirmari in bono dupliciter; vno modo simpliciter, ita scilicet, quòd habeat in se sufficiens suæ firmitatis principium, quòd omnino peccare non possit; & sic Beati sunt confirmati in bono; Alio modo aliqui dicuntur confirmati in bono, per hoc, quòd eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinātur in bonum, quòd non de facili possint à bono deflecti, non tamen per hoc ita retrahuntur à malo, quin omnino peccare non possint, nisi diuina prouidentia custodiente, &c.*

Docet ergo S. Thoma; Beatam Virginem per gratiam sanctificantem confirmatam fuisse in bono,

qua-

quatenus per gratiam, accedente etiam speciali Dei prouidentia præstitũ illi fuit, vt nunquam peccaret nec etiam uenialiter. Cæterùm alià est confirmatio in bono, quam eidem B. Virgini præstabat votum virginitatis; nam votum virginitatis firmabat B. Virginem in bono virginitatis, itaut posito voto à proposito virginitatis resilire non posset; & hanc confirmationem, seu firmitatem in bono non præstabat illi gratia sanctificans; nec enim gratia firmabat B. Virginem in operibus bonis supererogationis, ita vt post acceptam gratiam sanctificantem, ad opera, ac bona supererogationis obligata maneret.

Quis enim dicat, B. Virginem post acceptam gratiam sanctificantem, obligatam remansisse ad ieiunium, aut orationem, &c. Potuit ergo B. Virgo etiam post acceptam gratiam sanctificantem absque peccato non ieiuniare, aut non semper orare; ac proinde ex vi gratiæ sanctificantis acceptæ non erat eo pacto firmata in bono ieiunij, vel orationis, vt peccaret, si non oraret, vel non ieiunaret; hanc autem firmitatem in bono ieiunij, vel orationis præstauit illi votum ieiunij, vel orationis, si votum illud emisit; ita etiam post acceptam gratiam sanctificantem, si votum virginitatis Beatissima Virgo non emisisset, non remansisset obligata ad seruandã virginitatem, sed potuisset absque vllo peccato matrimo-

trimonium contrahere; nam ad seruandam virginitatem obligata remansit non ex vi gratiæ sanctificantis acceptæ, sed ex vi voti, itaut posito voto virginitatis nõ posset absque peccato à virginitatis proposito resilire: nec Diuus Thomas vnquam dixit, quòd gratia sanctificans firmaret B. Virginem in bono virginitatis, sed quòd illam confirmabat in bono, quatenùs accedente etiam speciali Dei prouidentia, efficiebat ne vllatenus peccaret, vt supra vidimus.

Sed & illam ipsam confirmationem in bono nõ docet S. Thomas, præstitam fuisse B. Dei Genitrici per gratiam sanctificantem ante omne votum, vt vult defensor Manualis, nam 3. par. q.27. art. 5. ad 2. & de verit. q. 24 art. 9. in argum. sed Con. & Opuscul. 60. artic. 3. docet quidem, B. Dei Genitricem, fuisse per gratiam confirmatam in bono iuxta sensũ allatum; sed ibi de voto ne verbum quidem habet. Immo sententia Diui Thomæ illa est; quòd priùs B. Virgo vouerit virginitatem, & postmodũ receperit gratiam confirmantem illam in bono. Nã in illomet artic. 5. quæst. 27. ait; quòd *B. Dei genitrix primò adepta est gratiam inclinantem eam ad bonum, in conceptione autem filij consummata est eius gratia, confirmans eam in bono.* Certum est autem, quòd B. Dei genitrix virginitatem vouerat ante conceptionem filij. Ergo B. Virgo iuxta D. Thomam vouit vir-

gini-

ginitatem antequam acciperet gratiam in bono illã confirmantem; ac proinde falsò asserit autor ille, Diuum Thomam docere, quòd B. Virgo ante omne votum gratiam acceperit in bono illam confirmantem: igitur ex omni parte rimas agit argumentum autoris præfati.

Quòd verò B. Virgo ex voto virginitatis fuerit in bono virginitatis confirmata, docet id S. Thomas 3. p. q. 28. art. 4. ibi enim ait S. Doctor, conueniens fuisse, vt virginitas Matris Dei ex voto esset Deo consecrata, quia conueniens fuit vt haberet virginitatem eo laudabiliori modo, quo haberi potest, nam virginitas in Matre Dei præcipuè debuit pollere, *perfectionis autem opera*, subdit S. Doctor, *magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur; sicut in secunda parte habitum est*, hoc est in secunda secundæ q. 88. art. 6. In eo autem artic. 6. ad quem se refert S. Thomas, inter alias rationes, ob quas dixerat, opus factum ex voto laudabilius esse opere facto sine voto est etiã illa, quòd per votum firmatur voluntas in bono, quòd vouetur. Vnde cum in 3. p. idem S. Doctor, dicat Beatissimam Dei genitricem conuenienter virginitatem vouisse, quia conueniens fuerat, vt haberet virginitatem laudabiliori modo, quo potest haberi, & virginitas laudabiliori modo habeatur per votum ex rationibus à se allatis in secunda secundæ, quarũ

nul-

nullam excludit à voto Virginitatis nuncupato à B. Dei genitrice, euidens est, Diuum Thomam docere, quòd virginitas in Matre Dei firmata fuit per votum ipsius.

Est igitur omnino certũ in sententia D. Thomæ, quòd votum ex propria ratione formali habet firmare voluntatem vouentis in bono, quod vouetur. Nec id est sententia dumtaxat S. Doctoris, sed omnium Theologorũ, nullo penitus excepto; quorũ testimonia hic non adducimus, quia videri possunt in suis operibus; & est res valde trita.

Immo ipsemet Suarez qui 3. parte loc. cit. sentire videtur, non esse de ratione formali voti firmare volũtatem vouentis in bono, Tom. tamen secundo de Relig. tract. 6. lib. 1. in quo agit de essentia voti vnde librum illum inscribit, *De Essentia, & honestate voti*, inhærens Diuo Thomæ, perpetuus est in asserendo, quòd votum secundùm se, & ex propria ratione formali habet inducere obligationem vouẽtis ad bonum; vnde in proemio ait, quòd *votum significat promissionem Deo factam, & inducentem obligationem*. Et cap. 3. num. 11. ait, quòd *licet obligatio sit effectus voti, seu promissionis, non est tamen effectus extrinsecus sed intrinsecus, & quasi formalis. Et cap.* 13. *num:* 14. sic inquit. *Promissio aut votum dupliciter accipitur, vno modo pro obligatione seu vinculo, quod ma-*

net

net in homine habente votum: alio modo pro actu illo, à quo immediatè nascitur obligatio: Hæc posterior significatio est magis propria, magisque vsitata, tamen prior etiam est frequens, sic enim ait D. Thomas in art. 1. q. 88. votum quandam obligationem importat ad aliquod faciendum, vel non faciendum. Et supplem. Gabr. q. 1. dixit, promissionem esse obligationem adimplendi propositum, quo homo vult esse obligatus, & votum nihil aliud esse, quàm obligationem, qua quis se spontaneè obligat Deo. Hæc enim & similia intelligenda sunt de voto, quatenùs est vinculum permanens, & quasi in habitu. Dico ergo, votum propriè dictum prout significat actum illum, quo homo se obligat Deo, *non habere pro obiecto alium actum humanũ, sed obligationem ipsam, seu vinculum efficiendam per actũ vouendi, atque ita voluntas illa, qua homo se obligat Deo habet pro obiecto obligationem ipsam ad Deum.*

Et cap. 11. num. 9. ait, quòd *per votum adiungitur actui quædam necessitas ad religionem spectans, quia seruare fidelitatem* Deo *ad eius cultum spectat.*

Et cap. 17. docet, opus ex voto factum melius esse magisque meritorium opere facto absque voto; idque num. 7 ostendit rationibus D. Thomæ, inter quas est illa, quòd *per votum firmatur voluntas in bono proposito, & ita perficit ipsum propositum, & consequenter opus eius.*

Egregiè autem idem Suarez propugnat ibidem

rationem D. Thomæ contra Maiorem obijcientem; quòd ſine voto poteſt fieri firmum propoſitum, & conſequenter opus eius; reſpondet enim Suarez, quòd *licèt ſinè voto poſſit haberi propoſitum omnino determinatũ, non tamen poteſt haberi alia ſpecialis firmitas, quam prabet votum. Cum voto autem vtraque habetur; deinde quia licet homo ſe offerat totum* Deo *ſine voto per actualem relationem, non tamen per ſpecialem obligationem, ſicut* facit *per votum.*

Et num. 36. ait, *votum non diminuere libertatem, quatenus conſiſtit in indifferentia operandi, quia ſolùm inducit obligationem, oblig atio autem non inducit neceſſitatem repugnantem prædictæ indifferentiæ, quia ipſa obligatio perfecta indifferentia impletur.*

Et cap. 18. num. 6. ex ratione Diui Thomæ, quã euidentem dicit, oſtendit, votum ita eſſe ſecundũ ſe honeſtum, & per ſe appetibile, & ad perfectionem vitæ expediens, vt ſimpliciter cadat ſub conſilio; *eſt euidens*, (inquit) *illa ratio, qua vtitur Diuus Thomas in art. 4. q. 88. quia per votum firmatur voluntas in bono, in quo, & magna honeſtas, & ſumma vtilitas cernitur, ergo votum ſaltem propter hunc effectum eſt maximè appetibile, ac pertinens ad opera conſilij.*

Transferendum huc eſſet totum Suarij opus, ſi omnia afferenda eſſent, quæ ipſe docet, vt oſtẽdat, de ratione eſſentiali voti eſſe firmare voluntatẽ vouentis in bono.

Idem

Idem autem docet & Franciſcus Syluius in 2. 2. q.88. cit. nam art. 1. ait, obligationem eſſe de ratione voti, votumque de ſe obligationem inducere; ac firmare propoſitum, & obligationem eſſe de ſubſtantia voti. Idem docet art. 3.

Et art. 4. cum D. Thoma docet, expediens eſſe aliquid uouere, *Quia nobis*, inquit, *vtile eſt, quòd habeamus voluntatem firmatam in bono, ſcilicet in faciendo aliquid, quod cedat in honorem* Dei, *& in commodum noſtrum ſpirituale. Nam qui promittit ſe aliquid facturũ, firmat ſuum propoſitum ad illud implendum, &c.*

Rurſus ait, magis laudabile, ac meritorium eſſe facere aliquod ex uoto, quàm ſine voto, *quia id quod fit ex voto fit ex voluntate magis ſtabili, magiſque ad faciendum bonum firmata; hoc enim operatur votum, vt art. 4. patet, &c.*

Nec refert, ſubdit idem Syluius, *quòd firmitas requiratur ad quodlibet opus de virtute procedens, vt enim D. Thomas docet in reſp. ad 3. diuerſa eſt firmitas; nam qui bonum facit abſque voto, non habet ſtabilem voluntatem niſi in hoc opere in indiuiduo, & quamdiù illud durat; Qui autem ex voto facit etiam tunc quando nihil agit, habet ex voto voluntatem faciendi boni firmitatem in futurum, per hoc, quòd ſe ad id faciendum obligauit; ac proinde, quando actu operatur habet duplicem voluntatis ſtabilitatem; vnam ex prauia obligatione voti, al-*

teram ex determinatione voluntatis practicæ, quæ hìc & nunc agit.

Et q. 189. art. 2. docet cum D. Thoma opus factum ex voto laudabilius esse opere facto sine voto, quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum.

Hæc profectò Suarez, ac Syluius de voto secundũ se, & secundùm suam propriam rationem accepto, quorũ verba hìc adduximus, vt appareat eosdem authores, qui à sententia D. Thomæ recesserant, cum asseuerunt non repugnasse votũ in Christo, in eãdem Diui Thomæ sententiam volentes nolentes relabi cum docent cum eodem D. Thoma de ratione formali voti esse firmare voluntatem vouentis in bono, ac proinde votũ in Christo repugnasse, quòd eius voluntas esset omnino in bono firmata; & ideo certum est, apud D. Thomam, & omnes Theologos, votum ex propria ratione formali habere hoc, quòd firmet voluntatem vouentis in bono, & consequenter votum non competere nisi ei, cuius voluntas firmari possit in bono; quod negabat defensor manualis.

Idque adeo verum est, vt opposita assertio, opinio dici nequeat, est enim inintelligibile, dari posse votum, quod non sit promissio, & consequenter quod non obliget vouentem, ac proinde quod non fir-

firmet voluntatem vouentis in bono, quod vouet, nam cum implicet dari votum, quod non sit promissio, implicat dari votum, quod non obliget vouentē; vnde dēpta à voto promissione, & obligatione, seu firmitate, nil remanet de specie voti.

Ex his autem apparet efficacia rationis D. Thomæ, qua demonstrat, votum repugnasse in Christo, quòd in *quantum homo habebat voluntatem firmatam in bono, quasi comprehensor existens*; nam sicut Beati, qui habent voluntatem firmatam in bono, incapaces sunt voti, ita & Christus, qui comprehensor erat, seu beatus, incapax erat voti, quia vt comprælhensor habebat voluntatem firmatam in bono, ita vt non posset vlteriùs in bono proficere, sicut nec beati in bono proficere possunt, igitur nec erat capax voti, per votum enim homo proficit in bono, nam firmatur in bono meliori, erat autèm Christus ab intrinseco firmatus ad omne bonum, quod congrueret muneri Messiæ.

Hanc autem sententiam esse D. Thomæ, cuique perspicuum est, qui textum D. Thomæ legat loc. cit. idque insigniores Theologi, ac Thomistæ testantur, vti sunt Bartolomæus Medina in 3. par. q. 40. art. 2. Raphael della Torre in 2. 2. q. 88. artic. 5. disp. unic. num. 8. & 9. Ioannes Paulus Nazarius in 3. p. q. 40. art. 3. Franciscus de Arauijo in 3. p. q. 19.

dub. 3.

dub.3. num. 28. in ſolut. 2. argumenti, Ioannes à S. Thoma in 2.2. q. 88. art.4. Petrus de Lorca in 3. p. q.29. art.4. diſp.73. num.14. vbi ait, ſententiam votum repugnaſſe in Chriſto eſſe Diui docentem, votum repugnaſſe in Chriſto eſſe Diui Thomæ, & communem Theologorum; & hanc eandem ſententiam eſſe D. Thomæ teſtatur Martinus de Eſparſa in ſuis quæſtionibus de Incarnatione q.32. ad 3. Quis autem dicat, tot inſignes Theologos Sancti Doctoris mentem non fuiſſe aſſequutos eamque vnum nouiſſimum authorem aſſequutum, fuiſſe? Dicendum ergo Diui Thomæ, omniumq; Theologorum ſententiam eſſe, quòd votum ex propria ratione formali habeat firmare voluntatem vouentis in bono; eiuſdemque D. Thomæ ſententiã eſſe, quòd Chriſto non competebat vouere, neque in quantùm homo erat, quia voluntatem habebat confirmatam in bono; vnde qui oppoſitum aſſerit manifeſtè recedit à Sancto Doctore.

Ad illud de præcepto, quod fuit impoſitum Chriſto, & ſi Petrus de Lorca eo argumento conuictus neget præceptum aliquod Chriſto impoſitum fuiſſe, quia tamen videtur id negari non poſſe, cũ in ſcripturis expreſsè habeatur, Chriſto à diuino Patre impoſitum fuiſſe præceptùm de ſubeunda morte, & ea ſcripturæ teſtimonia abſque vllo inconuenienti in proprio ſenſu explicari poſſint; Reſpondetur, eſſe,

dispa-

disparem rationem de voto, ac de præcepto; nam præceptum non habet obligare, aut firmare ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet à præcipiente, votum autem habet firmare vouentem ab intrinseco, quia scilicet ipse vouens se ipsum per actum propriæ voluntatis firmat in bonum; vnde cũ Christus non esset extrinsecè firmatus in bonum antecedenter ad præceptum, & aliàs esset capax præcepti, quia in quantùm homo, erat creatura, & subiecta Deo, eiusque humana voluntas erat libera, & non erat suprema regula suarum operationum, habebat superiorem regulam, voluntatem nempe diuinam, eiusque legem, poterat proinde per præceptum firmari in bonũ conueniẽs muneri Messiæ, & Redemptoris, ad quod tamen aliàs ex se, & intrinsecè firmatus erat; Cæterùm cum Christus vtpotè comprehensor, esset intrinsecè firmatus in bono; non poterat in bono intrinsecè firmari.

Obijcit etiam author præfati opusculi, Diuum Thomam super Psalmũ 21. vbi S. Doctor in illa verba, *Vota mea reddam in conspectu timentiũ eum*, ait, quòd *votum Christi fuit vt se daret pro salute fideliũ, Ipse enim illud vouit, in quantum homo*.

Ad hoc vnico verbo responderi posset, standum esse his, quæ S. Thomas docet in Summa, vbi docet, quòd Christo non competebat vouere.

Sed

Sed vlteriùs dicimus, Doctorem Sanctum loc. cit. in Psal. 21. voti nomine non intelligere votum theologicè prout votum est promissio Deo facta, quo pacto in secunda secundæ negat votum in Christo, sed voti nomine ibi intelligit propositum, aut desiderium; seu etiam rem desideratam; nam & pro his propriè apud Latinos sumitur votum. Passaratius verbo, *Votum. Votum est, prout est in votis, optandum est; Cels. sæpissime, vt lib. 6. cap. 6. siquidem sub his oculus plerumque rumpitur, votumque est, vt tantùm exulceretur; & quoniam quæ magnopere desideramus, adhibitis votis à Dijs petere solemus, factũ est, vt vota accipiamus pro optatis. Plin. epist. 4. Hanc ego vitam voto, & cogitatione presumo; vnde voti compotem dicimus eũ, qui desiderium suum assecutus est. Et pro voto succedere idest pro desiderio; Item facere vota pro optare. Cic. pro Mil. Vota enim feceratis, vt in eos se potiùs mitteret, quã in vestras possessiones*; His autem modis Diuum Thomam eo in loco voti nomen accipere euidens est; sic enim ait. *Votum Christi fuit, vt se daret pro salute fidelium; Ipse enim illud vouit in quantum homo; Psalm. 39. vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui; quę quidem voluntas Dei est sanctificatio nostra Esa. 6. Descendi de cęlo, non vt faciam voluntatem meã, sed voluntatem eius, qui misit me. Hęc vota soluit Christus dando se ad passionem. Et iterum quando dedit corpus suum*

in

in cibum fidelium, vnde dicit, vota, ideſt ſacrificia reddam, in ara Crucis, & in ſacrificium fidelium. Hæc S. Thomas.

Ex quibus, euidens eſt, voti nomine non intellexiſſe votum Theologicè, ſed nomine voti intellexiſſe deſiderium, aut rem ipſam deſideratam, ſeù optatam, vnde expreſsè dicit per vota intelligenda eſſe ſacrificia. Et certè cum S. Thomas in ſecunda ſecundæ loc. cit. neget, in verbis illis Pſal. 21. *vota mea reddam in conſpectu timentium eum*; ex perſona Christi dictis, exprimi votum theologicè ſumptũ, ſed dicat, verba illa per quandam ſimilitudinem indici ex perſona Chriſti, quomodo eadem verba intelligere poteſt de voto theologicè accepto?

APPENDIX V.

Ad Controuerſiam XXVIII. De Epiſcopatu.

OStendimus in Controuerſ. 28. iuxta ſententiã D. Thomæ Epiſcopatum eſſe Ordinem hierarchicum, non Sacramentalem, idque manifeſtiſſimis teſtimonijs Sancti Doctoris euicimus. Pro eadem ſententia ſupra ſeptuaginta Theologos, eoſque inſigniores adduximus; ex veteribus magiſtrum ſententiarum, D. Bonauenturam, Albertum Ma-

gnum, Scotum, Alensem, & alios: Ex recentioribus verò Azorium, Reginaldum, Henriquez, Villalobos, Hurtadum, &c. Pro eadem adduximus nonnullos insignes Canonistas, videlicet Panormitanum, Antonium de Butrio, Ferrariensem, Couaruuiam &c.

Ostendimus præterea, sententiam Diui Thomæ docentem Episcopatum esse ordinem Hierarchicũ, non Sacramentalem, esse omnino conformem Sanctionibus, ac Doctrinæ Sacri Concilij Tridentini. Verùm hæc nõ videtur attendisse Defensor manualis in opusculo allegato, cum dicat, ex authoritatibus D. Thomæ in suo manuali demonstratum fuisse, Episcopatum iuxta Diuum Thomam esse Ordinem; & Sacramentum; & id ipsum Sacrum Cõcilium Tridentinum sensisse, & modò à Theologis communiter teneri. Conferat Lector quæ diximus in Controuersia illa, inde namque constat, sententiam D. Thomæ esse illam, quæ negat, Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem: Hancque esse ipsam sententiam Diui Thomæ omnes Thomistæ ac Theologi etiam extra scholam Sancti Doctoris nullo prorsus excepto ad hanc vsque horam testati sunt, nec aliquis huc vsq; negauit, aut negare potest, hanc esse sententiam D. Thomæ, cum eam rotundis verbis Sanctus Doctor pluribus in locis doceat;

vnde

vnde valde mirandum, quòd vnus dumtaxat nouissimus author negare velit rem adeo compertam, sententiam nẽpe D. Thomæ esse illã, quæ negat, Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem, & oppositam sententiam Sancto Doctori velit affingere, scilicet sententiam affirmantem Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, quam Sanctus Doctor ne dum non docuit, sed reiecit apertissimè.

Diximus præterea in Controuersia illa, pro sententia Diui Thomæ negantis Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem haud rectè ab authore manualis allegari Dominicum Sotum ex eo capite, quòd Sotus interfuerit Concilio Tridentino; nam Dominicus Sotus non interfuit Concilio eo tempore, quo actum fuit de Episcopatu; vnde licèt authoritas Dominici magnifaciẽda sit, quòd esset insignis Theologus, ac proinde magnũ robur addat sententiæ neganti Episcopatum esse Sacramentnm, id tamen non est, quia ipse Concilio Tridentino interfuerit quando actum fuit de Episcopatu.

Respondet Defensor Manualis, Dominicnm Sotum adfuisse Concilio Tridentino sessione septima celebrata 3. Maij anni 1547. in qua definitum fuerat, inter Sacramenta connumerandum esse Ordinem, de qna re cum ageretur, credibile satis est, Patres dc Ordinum numero disputasse, & quæ nam

Ordines eſſent, diſſeruiſſe.

Sed contra hòc eſt, quòd id aſſerere eſt velle abſque vllo prorſus fundamento diuinare; immo ad aſſerendum oppoſitum ſufficiens fundamentum habemus. Nam Sfortia Cardinalis Pallauicinus, qui in Hiſtoria Conc. Trid. exactè refert acta, ac diſputationes habitas inter Theologos Concilij pro ſeſſione illa ſeptima, ſicut, & in alijs, ibi ne verbum quidem habitum refert à Theologis de numero Ordinum, aut de Epiſcopatu; retuliſſet autem profectò, ſi de hoc diſputatum fuiſſet, nam eorum, quæ in Concilio contigerunt, eſt diligentiſſimus etiam in minimis Relator. Igitur ſufficiens fundamentũ habemus, vt dicamus, in ea ſeſſione ſeptima nullatenus diſputatum fuiſſe de numero Ordinum, aut de Epiſcopatu: & certè de his diſputatum fuit inter Theologos in Concilio in ſeſſionibus celebratis tẽpore Pij Quarti, videlicet anno 1563. vt refert idem Pallauicinus; eo autem tempore Dominicus Sotus iam obierat. In ſeſſione autem illa ſeptima celebrata 3. Martij 1547. nil prorſus dictum apparet de numero Ordinum, aut de Epiſcopatu; ſed tantùm definitum fuit, Sacramenta nouæ legis eſſe ſeptem ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiã, Poenitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; Canones verò particulares de

his

his singulis Saeramenti nõ fuerunt formati eo tempore nisi de Baptismo, & Confirmatione, reliqui verò Canones quoad alia Sacramenta formati fuerunt in Sessionibus habitis anno 1563. vnde cum in sessione septima anni 1547. non actum fuerit singillatim nisi de Baptismo, & Confirmatione, nõ est credibile,tunc actum fuisse de numero Ordinum aut de Episcopatu.

Poterat autem ille author pro sua opinione asserẽte, Episcopatum esse Sacramentum, afferre Petrum de Soto id affiimantem, qui Concilio Tridentino interfuit in sessionibus Concilij celebratis an. 1563. in quibus actum fuit de Episcopatu, (in quo tamen minùs rectè loquutum Petrum diximus Controuersia nostra decima octaua) mirum tamen, quòd prætermisso Petro pro sententia docente Episcopatũ esse Sacramentum, affert author ille Dominicum Sotum, qui negat, Episcopatum esse Sacramentum. Alia quę habentur in manuscripto præfato nullius prorsus momenti sunt.

Ad eandem Controuersiam Paragrapho 17. ad vltimum illud argumentum,contra sententiam D. Thomæ, quòd nostra Hierarchia conformis sit Sanctis, ac cœlestibus, in quibus nouem sunt Ordines Angelorum, ac proinde totidem Ordines debeant esse in Ecclesia militante. Præter solutionem ibidẽ

alla-

allatam, hæc alia ſolutio addi poteſt, admittendo vtique noſtram Hierarchiam Eccleſiæ militantis cō-formem eſſe Hierarchiæ Eccleſiæ cœleſti, & triumphantis, & ab illa exemplatam; id autem ſolum probat, quòd ſicut in cœleſti Hierarchia nouem ſunt Ordines hierarchici, ita & nouem Ordines hierarchici ſint in Eccleſia militante. Sunt autem huiuſmodi Ordines, Prima Tonſura, Acolitatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Oſtiariatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus. Nam hi omnes ſunt ordines, ſeu gradus Hierarchici, Vt enim diximus in Controuerſia illa, Ordines Sacramentales ſunt etiam ordines, ſeu gradus hierarchici, non tamen argumentum illud probat, Primam Tonſuram, & Epiſcopatum eſſe Ordines Sacramentales.

Quæ autem in hoc Opuſculo, & in alio Opere diximus, in defenſionem Doctrinæ Sancti Thomę dicta ſint, vt conſtet, eam nullis artibus, aut machinis arietari, indeque apparet veritas Oraculi Alexandri Septimi Summi Pontificis, inconcuſſa, tutiſſimaque aſſerentis Sanctorum Auguſtini, ac Thomæ Dogmata, in ſuo ad Louanienſes Theologos Diplomate, quod quidem Diploma ab eodem Alexandro perlectum, obſeruatum, commendatū,

& pro-

& probatum fuit, cum sibi annulo piscatoris signandum exhiberetur à Francisco Nerlio Breuium ad Principes tunc Secretario, postmodùm S.R.E. Cardinali, vt idem Cardinalis Nerlius mihi testatus est.

Liceat Opusculũ istud claudere alijs duobus Encomijs eiusdem Doctrinæ Sancti Thomæ ex duobus eruditis authoribus Societatis Iesu.

Primum ex Philippo Labbe in Dissertatione Historica. De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Sanctus Thomas Aquinas*, qui de Sancto Thoma hæc habet ex Sixto Senēsi in sua Bibliotheca Sancta.

Diuus Thomas quatuor inter se implacabiliter pugnantia indissulibili pacis fœdere copulauit, videlicet Copiam, Breuitatem, facilitatem, & securitatem; quæ nulli antea litterarum Professori, nec post eum contigit simul potuisse connectere.

Secundùm ex Antonio Posseuino in apparatu sacro tom. 3. verbo *Thomas Aquinas*, vbi hæc habet.

Summa Theologiæ in tres Tomos diuisa, quingentas, & duodecim quæstiones, ac bis mille sexcentos, & quinquaginta articulos continet; qua D. Thomas omne tulit punctum, ac reliquis omnem videtur precidisse viam, qua aliquid augustius, aut breuius fieri posse vnquam putent, vt diuinitus pronunciasse existimetur hęc verba Ioannes huius nominis XXII. Pont. Max. cum D. Thomam

mam in Sanctorum cathalogo scribi mandasset; nempe: Nisi Beatus Thomas alia edidisset miracula vnusquisque articulorum eorum, quos scripsit, habendus pro miraculo esset. *Sanè Methodus est incomparabilis, stylus breuis, & perspicuus; Nexus autem rerum tractatarum tantus, vt alind ex alio, posterius è priori, non solum pendeat, verum etiam lucem, ac robur accipiat. E notiori enim cum semper progreditur, hoc est, ex ijs, quę anteà exposuerat, & statuerat; Omnia suis locis colloeat, nulla inani repetitione, nulla redundantia, in quibus nil mutilum, aut mancum.*

Consonant hæc Oraculo Beati Alberti Magni qui (vt ex processu Canonizationis D. Thomæ refert Paulus Frigerius Congregationis Oratorij S. Philippi de Vrbe Sacerdos in Vita eiusdem Sancti Doctoris edita Romæ anno 1669.) perlectis, & obseruatis Diui Thomæ ipsius Discipuli operibus, illud admirabũdus protulit, *nẽpe Thomam de Aquino tot, ac tanta, adeoque profundè, ac sapienter scripsisse, vt cæteri post ipsum frustra laborarent.*

Laus Deo, Beatissimæ Virgini Dei Genitrici, ac S. Thomæ Doctori Angelico.

INDEX

Rerum Notabilium.

A

B

C

D.

E

EPiſcopatus eſt Ordo Hierarchicus, non Sacramentalis. 57. et seq.

Hæc eſt ſententia D. Thomæ, & inſigniorum Doctorum. ibid.

Eugenius Quartus Pontifex diſpenſare noluit cum militibus de Calatrauo in voto ſolemni continẽtiæ. 8. & ſeq. indulſit, vt qui in poſterum eam Religionem ingrederentur, votum ſolemne non emitterent. ibid.

F

FErmentatum in Eccleſia Græca cur conſacretur. 2. 3.

G

GEorgius, ſeu Gennadius Scholaris Patriarcha Conſtantinopolitanus. 3.

Gratia collata in Circumciſione valebat ad reſiſtendum omni concupiſcentiæ. 17.

Gratia ſanctificans quo pacto confirmauerit Beatiſſimam Virginem in bono dum in hac vita degeret. 42. & ſeq.

H

I

L

M

T

V

FINIS.